Tractatvs pervtilis et completvs de fractvra cranei. Ab eximio artivm et medicinae doctore d. magistro Iacobo Berengario ... publice chirurgiam ordinariam in almo Gymnasio Bononiensi docente aeditus ... / [Jacopo Berengario da Carpi]. - Copy 2

Contributors

Berengario da Carpi, Jacopo, approximately 1460-approximately 1530.

Publication/Creation

Venice : J.A. de Nicolinis de Sabio for J.B. Pederzanus, M D XXXV.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/fbzq52mg

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

749 (2)

H. xxvi a 16

S ii, S. iii

Imperfect
Wanting I 1-4, S2-3, DD4 (blank)

Vogrich
May 03

C 10870

TRACTATVS PERVTILIS ET COMPLETVS DE FRACTVRA CRANEI, AB EXIMIO ARTIVM ET MEdicinæ Doctore D. Magistro Iacobo Berengario Carpensi publice Chirurgiam ordinariam in almo Gymnasio Bononiensi docente æditus.

Laurento Medices medicam mandauimus artem,
Vt Lauro merito condecoretur opus.

M D XXXV.

EXCELSO AC ILLVSTRISSIMO LAVRENtio Medici Vrbini D. Inuictissimo. S.

ILlustrissime Princeps esse nõ minus regale quàm humanum ipso etiam in Imperatore uirisq; sublimioribus munera quantula fuerint fronte hilari suscipere quàm largiri preciosissima constat, gratæ & Cretensis pastoris Ioui lacteæ fuerunt oblationes. Munus ergo libellum hunc accipe. s. de continui solutione in capite, quàm maxime potuimus elaboratum, tuoq; perq; nomini dedicatum, uti tuæ saneq; excelse ditioni inter capitis tui uulnera receurandum spopondimus, huius ætatis Medici tantum tibi gratiarum debebunt, quantum utilitatis secum opus attulerit, tuæq; Celsitudini pariter erunt ad laudes super te decantatas obnoxij, quippe quod quale sit opus, admonitione tua & impulsu enatum esse ingenij nostri fœturam constat, in hoc ipso etiam mihi satisfecisse arbitror, si labor idem meus (ut non suspitiose sentio) uiros non ex grege ab erroribus haud uulgaribus uulgatis tamen extraxero, quorum insciitia quàm plurimos exterminauit, dicant igitur, tu ualeas felix ceu longo tempore phœnix. Vale.

Idem.

Et Phœbo laurus monimentum iure dicatum,
Et primus Medicæ est ille repertor [illegible]
Iure etiam Medicæ hæc artis monimenta dicantur
Laure tibi, poterant nec magis apta dari.
Phœbeæ unus habes & frondis nomen & artis.
Vnus Phœbei numinis instar ades.
Achilles Phileros Bochius.

DOMINICVS FONTEIVS BRIXIENsis ad chirurgicæ [illegible]e professorem.

Mystica siquis auet Cap[illegible]ulante Paratus
Natura hos tenues, n[illegible]agisteria?
Subnixa vt meninx dure Pia molle sorori?
Et vere in sensu consita uis vigilet?
Carpe quod ex Carpo Medices dedit auspice Laurus
Phillyrides fueris? maior & Ampycide?
Ex acheronteo vitales traxeris Auras
Ce[illegible]uel potior virgula Atlantiade?
Si cq; instauratas naturam, s[illegible]cula, gentem
Senseris, vt vita perpete mundus eat.

INDEX OMNIVM CAPITVLORVM, ET RERVM, quæ in hoc opere continentur secundum ordinem alphabeticum.

A

An à lato ferramento uel à fracto sit incipiendum ossis amotione. à carte ciij

C

Cura per dietam. xlvi.
Continuatur cura fracturæ cranei per potionem. lxx
Cura fracturæ cranei per chirurgicum instrumentum. lxxxij
Conscriptio ferramentorum. xcv

D

De causis à quibis ueniunt nomina & species solutæ continutatis capitulum primum. v
De signis & de prognostico siue iudicio curam etiam rationalem in se continens capitulum secundum. vij
Dubium an accidentia sint ab apostemate an à solutione continui an à sanie cum sint communia xxij
De coitu. lv
De superfluitatibus primæ & secundæ digestionis. lvi
De sputo & mucositate narium. lvi
De superfluitate oculorum & aurium. lix
De sudore. lix
De uomitu. lix
De emunctione lactis. lix
De cura fracturæ cranei per potionem lxi
De cura læsionis panniculorum & cerebri cum medicinis lxxx
De cura cõtusionis factæ à Balista siue ut dicitur sclopleto cũ medicinis. lxxxi
De tempore in quo debeat fieri ossis amotio. lxxxij
De loco à quo ossa amouenda sunt lxxxvij
De quantitate ossis amouendi. lxxxviij
De qualitate medicine capiti applicande. lxxxix
Documenta breui sermone notatu digna arti necessaria. cij

L

Læsionum exteriorum capitis cura. xxxvij

O

Opiniones quod dura mater adhæreat cranco. xxvi

P

Prima secta. lxi

Q

Qualiter sit operandum cum ferramentis in læsionibus capitis antedictis. cvi

R

Regimen aeris. xlvij
Regimen motus quietis. lij
Regimen cibi & potus. lij
Regimen somni & uigiliarum. lv
Regimen inanitionis & repileonis lv
Regimen animi passionum lix

S

Signa si panniculi sunt soluti. xiij
Signa cerebri soluti xiij
Signa cerebri commoti. xiij
Signa cuiuslibet male eomplexionis capitis xvi
Signa apostematum interiorum capitis. xvij
Signa materiæ supra panniculos. xxij
Signa ossis grauantis uel pungentis panniculos & cerebrum. xxij
Signa separatio duræ matris à cranco. xxvij
Signa prognostica in læsionibus capitis. xxix
Secunda secta. lxij

T

Tertia secta lxiiij

V

Vtrum percusso capite in una parte rumpatur os in opposito. x
Vnde est quod Auic. non ponit doses medicinarũ localiũ in multis locis. lxxiiij
Vnde est quod fortior medicina requiritur intrinsecis uul. & apost. capitis. & quod intelligatur per fortem medicinam. lxxxi

Vm ab Illustrissimi Vrbini Ducis recuratione patriã Bononiam reuiserẽ, ut quo Iucundius nihil quicq̃ fuit: scolasticos mihi Iustis de causis amicissimos conuenirẽ ad eos q; ut ueni, de statu suo illi de meo percõtati sunt: multisq; uerbis ultro citro q; habitis de capitis chirurgia ille nobis consumptus est dies, deinde ut cubitum discessimus ex itinere fessus & quia per multas noctes uigilauerã, arctior q̃ solebat somnus cõplexus est: hoc ergo mihi (Credo equidẽ ex hoc quod eramus locuti) euenit: fit.n. sæpe fere ut cogitationes sermones quæ nostri pariãt in somno aliquid tale quale cogitatũ prædictũ ue fuerit: ut inquit Cicero in lib. reip. de Homero auctoritate Ennij de quo septissime uigilãs solebat cogitare & loqui. ¶ Apparuit quidam Galero gallato tectus tallaribusq; pẽnatis aureis, aureãq; uirgã serpente inuolutam manu ferens: ex ea forma mihi notior erat Mercurius tertius, gallũ, galerũ, tallaria pennata aureãq; uirgam & serpentem conuenire medico scio: talis forme hoĩem sũmum medicũ tenet antiquitas: ad quem ob hoc intrepidus accessi: sed ille inquit omitte timorem & patentes tuas pro tempore mihi porrige aures: scholasticis tuis, o, quotiens rogantibus tractatũ de Cranei fractura promisisti: nec adhuc das: non minuetur tibi quicquid dederis illis: memor esto paruis panibus multitudinẽ satiatam & superesse reliquias fragmentorum multitudine panũ: promissa igitur seruato promissorum tamen te obseruatorẽ prædicant, si non uertentur præces in querellam sæpe nãq; solet mendico prodesse uociferatio. impartire ergo: tanicis labores tuos. iam solue manum & centuplũ accipies, si sitientibus amicis scientia fame q; cruciatis impartiri non dedigneris: si hoc feceris eterne uiues. uirtute.n. uiuimus: Reliqua momentanea & fugacia bona & fortune ludibria sunt. Virtus profecto cõstans & æterna ac certa est possessio. Et hoc obseruatum habeas uolo: quidquid dicere intendis fac ut in tua fornace recoctum tua q; incude percussum sit: & tuum fiet. Id q; non solũ tale sed melius: non ignoras scio quod ex eadẽ massa Phydias: aliã cudebat imaginem, aliã Praxiteles: aliam Lysippus: aliam Polycletus: Incipe ergo ne diffidas & noua misce ueteribus: si id rite feceris, suũ præcium inuenient. Qui medicinam inuenerunt hoĩes erant: nec te moueat tritum illud ac uulgare: nihil noui esse uel dici posse: incipe igitur & primũ solus in silentio meditare, meditata claustris abde memorie. Eadẽ q; intentus cir

cõito atq; in corruptus examina: inde adhuc nullo teste ad calamum pedetentim procede: proferantur deinde: ut te audias: non quasi conditor: sed ut iudex: aurẽ atq; animum in consiliũ uoca, & qualis sis cogita & quid dicturus fueris ac si tuus hostis dictasset. Et an tua hæc ad manus hostium sint uentura, quisquis paulo altius niti ceperit multos hostes inueniet. uides q̃tum periculũ sit scribere sed scribendum tamen: & scribẽdum ita ut qui nostra momorderint solida, feruida, hispida, dura atq; hirsuta reperiant ut dentibus fractis intelligant uerum dixisse qui dixerit inuidos hoĩes nil aliud q̃ ipsorum esse tormenta, eamq; non rapidam non iuuenilem sed maturam ueramq; & regalẽ fuisse sententiam fateantur. Ille deinde ad suum euolauit orbem, ego somno solutus sum. ¶ Superueniente die mente reuoluens quæ promiscrã obseruãda fore. Calamo assumpto tractatum de Fractura Cranei iuxta ingenioli mei uires in lucem prodire intẽdo. Et quicquid diuersa lectione quesiui & experientia probaui more apum in unum redigam. apes. n. uagantur & flores carpunt deinde quicquid attulere disponunt ac per fauos diuidunt & succum uarium in unum saporem mixtura quadã & proprietate spiritus sui mutant. ¶ Dico tamen & deum testor quod hunc tractatũ non compilaui nisi impulsu mei ducis, & ui & conamine multarũ precum meorum scholasticorum, & eo maxime quia satis facile est, intentiones medicinales scriptura uel uerbo tradere, tempestate hac in componendis libris quo ad maiorem eorum partẽ, unus tantum labor est. s. antiquorũ dicta à mendositate quæ plurima est uendicare. Et huius seculi hoĩes ea ratione qua possumus consulere. ¶ Magnum quidẽ ac diuinum fere est peritorum sententias in actum ducere, cum medicinæ minor pars reperiatur in libris. ut à principe prima primi. Multi. n. optimi ac maxiui reperiuntur medici uerbo & calamo, exigui uero & minimi opere. ¶ Magnifacio ego in medico lucidum ac digestũ illud iuditiũ quòd nec calamo scribi nec lingua proferri potest, hinc honor, hinc labor est, hinc colige grana. ¶ Non ergo gloria motus sed ut amicis obsequar hoc opus agressus sum. ¶ Nec ad hoc me mouet librorũ defectus sed in hac parte scribentium uarius modus, errores q̃tum potui euitaui, fateor me potuisse errare. ¶ Inquit celsus quod leuia ingenia quia nihil habent nihil sibi detrahunt, magnus hypocrates in fractura cranei fatetur se esse deceptum. ¶ Conatus sum aliqua noua uetteribus miscere. scio. n. inuenta non obstare inueniendis, accipite ergo has lucubra

tiones meas ò uos beniuoli & amici non inuidis & ignaris hæc scripsi, quia indigni sunt cõmercio meo, sed amicis & discendi cupidis & mihi pro memoria senio ducto, maiorum meorũ semper correctioni me submittenti. ¶ Nec breuis erit sermo noster quia quæ traduntur in practicis non possunt paucis declarari, parcant igitur doctiores quia ipsi aliquando fuere rudes & ob id absq; indignatione patiantur si ampliuscule iunioribus elaboratũ sit, si etiã aliquid quo forte non egeat medicus hic inseratur, hoc sit honesti ocij & somnij culpa. ¶ Sed etiã anteq; ad propositũ accedamus conditiones legitimi medici præmittere intendo. Et primo dico quod qui uult legittimus medicus uocari ornamenta habeat seu insignia Mercurij quæ meruit labore, uigilijs & sudore & ob hoc diuinus effectus est medicus qui teste theodontio apud egyptios floruit ubi mirabiliter profecit in multis & potissime in mathematicis adeo ut cunctis præferetur & cũ ob excellentiã prædictorum nomen Mercurij meruisset, qui prius hermes seu hermias teste leontio dicebatur, medicinalibus operã dedit tãq; in his sublimis effectus est ut non ommisso Mercurij nomine crederetur Apollo & longe profusius in sacris egyptiorum instructus cunctis factus est homo mirabilis. ¶ Huic solo Mercurio prædicta omnia ornamenta donata sunt sed quid uelint hæc insignia aduertendum cum aliud in planeta aliud in rhetore, aliud in mercatore uel fure & aliud in medico Mercurio habeant demonstrare. ¶ Dicitur ergo cum gallero tectum ut per illum cœlum intelligamus à quo & si tegamur omnes à medico potissime illud cognosci debet. Circa planetarum uarios motus dispositiones syderũ speculando ut per ea tanq; in humana corpora agentia & plurima causantia & egritudinũ causas successus & opportuna remedia possit agnoscere atq; ea quæ ad salutem egrotantis necessaria demonstrantur disponere. ¶ Sciat etiã medicus se teneri habere cognitionẽ de omnibus quæ sub cœlo sunt, ut de elemẽtis & de eis quæ in eis sunt & quomodo sunt & quæ ab eis ueniunt siue sint ex animalibus siue ex plãtis siue ex mineralibus. ¶ Gallero etiam tegitur medicus ut negocia oĩa sua quãdo opus est abscõdita & secreta sint. ¶ Gallero uero tegitur gallato quia semper medicus debet esse peruigil ut gallus, oĩs, n. bonus negociator semper uigilat seu à galli cantu surgit ad peragenda negocia, dicunt, n. gallũ esse tanq; excubitorem à quo & gallicinium dicitur tẽpus, s. ante lucanum. ¶ Gallus etiam traditur Aesculapio teste

Conditiones legitimi Medici.

Quare Gallero tegatur medicus.

Quare Gallato Gallero.

Socrate in phedone inquit Aesculapio gallum debemus quē reddite ne q; negligatis & dicunt qui dā gallum Aesculapio traddi quoniam. s. medicus qui Aesculapius interpretatur preuidere debet quæ sunt, quæ fuerunt, quæ mox futura trahantur. ¶ Dicunt etiam aliqui gallatū Gallerum cōuenire medico quia mediante uigilia ad sydera tēdit curius & Aesculapius. ¶ Tallaria uero habeat pēnata ut per ea noscamus oportere medicum euolare ad remedia contingentium ne egritudine laborans deficiat anteq; accesserit tardi medici argumentū ¶ Habeat præterea pennata Thalaria ut ipsi medici cognoscant nature ministri omni alia seposita cura se debere ad necessitates uocātiū euolare. ¶ Sit insuper uirga illi ab apolline donata medicine auctore inuentore & parente. i. à medico docto & experto, illum prius approbāte absq; qua nemo hercle deberet tale officium exercere. ¶ Dicitur medicū hac uirga ab orco pallentes euocare animas ut appareat multos iandudum iudicio & arte multorum medentiū in mortem ituros: scientis medici adiutorio in uita retentos seu à morte. i. ab orco potius reuocatos. ¶ Sic uersa uice dum minus morborum noscuntur causæ hac eadem uirga. i. auctoritate uel artificio minus cōgrue operato animæ quæ stetissent mittuntur ad tartara. i. in mortē. ¶ Somnos etiā hac uirga. i. arte dat medicus per sæpe in somnū declinare nequeuntibus & aufert in suam perniciē dormiētibus nimium. ¶ Ventos etiam ammouet medicus hac uirga dum stultas egrotantium opiniones suasionibus & rationibus ueris ammouet auferēdo timorem, seu etiam dum uentositates uiscera in grauissimum patientis dolorē agitantes, suis aut potionibus aut alijs auxilijs resoluit in nihilum. ¶ Sic & nubila tranant medici hac uirga dum humiditates superfluas educunt quasi tranātes. i. ad se trahentes à corpare languido. Hanc uirgam serpente inuolutam dicunt ut intelligamus medicinale exercitium absq; prudentia & naturali discretione tendere non forte minus in perniciem q̄ in salutē. ¶ Ego dico uirgam auream conuenire medico, ut medicus habeat sceptrum & merum dominū super egro & astantibus quia aliter non sanantur egri quod dominum debet esse mēsuraum & prudentia inuolutum sicut serpente uirga inuoluta est ille igitur medicus qui talibus ornamentis & conditionibus imbutus est habetur alter Mercurius Aesculapius siue Apollo, implorato modo summi opificis primum auxilio sine quo nullum rite fundatur exordium ad propositum accedo.

Quare Tallaria pennata.

Quare uirga.

Quare uirga serpēte inuoluta.

Sermonem

LIBRI DIVISIO

CAPITVLVM PRIMVM.

SERMONEM Facturus de capitis soluta continuitate stricto modo sumendo caput, siue testæ, siue caluæ, quod idem est, apud latinos, siue cranei apud græcos corrupte tamen à cranyon ueniens quod idem est quod contentiuum & durum ut caput quod rectius cranium dici deberet. Cranium enim dicitur à Cras quòd est caput, diuidam hunc tractatum in duas partes principales.

¶ Prima pars erit de causis à quibus ueniunt nomina & species solutæ continuitatis. Pars prima.

¶ Secunda erit de signis & de prognostico siue iudicio curam etiam rationalem in se continens. Pars secunda.

Incipit prima pars.

¶ Capitis ergo soluta continuitas duas habet causas, unam intrinsecam alteram extrinsecam. De prima hic nihil uel parum intendo. Secunda triplex est sicut possunt esse tres modi notabiliter distincti. Primus modus est à re incidente. Secundus est à re contundente. Tertius est à re perforante. Et ita erunt tres causæ quæ à medicis primitiuæ appellantur. Et ita erunt tres species in uniuersali solutæ continuitatis, tria nomina habentes, à quibus species descendunt particulares de quibus infra latius dicetur. Prima species erit incisio. Secunda contusio. Tertia perforatio. Causa solutæ cõtinuitatis capitis hic est triplex.

¶ Ad intelligentiam quarum noto quòd quarto Ingenij dicitur quòd nõ uno uocabulo denominatur solutio imparis si in carne uulnus si in osse fractura. Et sic dantur multa nomina.

¶ Et sexto Theorice ab Haly. distinguntur species solutionis continuitatis penes tria. Primo à natura particularum quia quædam in consimili quædam in composito. Secundo ab esse solutionis quia aut simplex aut composita. Tertio à proprijs differentijs solutionis ut à magnitudine

paruitate & id genus.

Differẽtiæ uniuersales solutæ continuitatis.

¶ Et Auic. secunda primi, doctrina prima, summa prima, Capitulo quarto inquit, quòd solutio continuitatis multas habet species. ut est uulnus. ulcus. fractura. apertura. disruptio. attritio. contusio. seperatio. ruptura. & id genus. Et idem doctrina secunda, summa secunda, capitulo secundo ponit differentias solutæ continuitatis penes causas efficientes. inquit, causæ autem quæ extrinsecus sunt. sunt sicut corpus extendens ut funis & pondera aut quod incidit ut ensis. Aut quod edurit ut ignis. Aut quod contundit ut lapis aut corpus quod perforat ut sagitta & similia. Aut quod mordet ut Vipera & Canis. Sed quia auctores prædictos & omnes alios sæpe uideò prædictis nominibus solutæ continuitatis abuti unum pro alio ponentes.

De nominibus paucæ est habẽda cura.

Ideo de nominibus à me hic non erit cura eo maxime quia alibi ad lõgum de hoc dicturus sum.

Differentiæ solutæ continuitatis hic sumuntur à causa efficiente & ita sua nomina.

¶ Et ita differentiæ solutæ continuitatis in capite à me de presenti sumentur penes causas efficientes. & hic trahent nomina sua. Et quamuis possint causæ diuersæ diuersas facere species solute continuitatis etiam in capite. ut ignis urere. & morsus Vipere & aliorum animalium continuum soluere & malam qualitatem uenenosam capiti inferre. De istis hic nihil uel parũ intendo loqui. Intendo tantum de incisione de contusione & perforatione in qua finaliter fit læsio cranei & annexorum. Et si aliqua dicerentur de incisione & perforatione & contusione sine cranei fractura. hoc erit ad maiorem declarationem per accidens tamen: quia titulus huius libelli est de fractura cranei & annexorum.

¶ Quia igitur per me hæc tria nomina imposita sunt solutæ continuitati in capite penes causas. Primo penes causam incidentem. Secundo penes causam contundentem. Tertio penes causam perforantem: uidendum est quid sit harum quæq; penes diffinitionem essentiæ ipsarum.

Quid sit incisio.

¶ Dico ergo quòd incisio eueniens capiti est solutio continui paucì numeri facta ab aliqua re incidente ut ense gladio & similibus quæ pro quanto est in osse. fractura deberet uocari. sed hic sumit nomen à causa.

¶ Contusio uero capitis est solutio continui multi numeri facta à re obtusa contundente frangente & conterente. ut à baculo lapide & id genus. Fractura uerius nominata si in ea contingat os lædi siue manifeste frangatur siue plicetur: quia nec plicatura est sine aliquali fractura quamuis sit ualde occulta magis tamen in corpore sicco. & hoc rimentur qui altiora petunt. Quid sit contusio.

¶ Perforatio autem capitis est solutio continui pauci numeri facta à re perforante ut stilo sagitta, & similibus suum nomen etiã trahens à causa. Quid sit perforatio.

¶ Reperiuntur à multis scripta esse diuersa nomina solutæ continuitatis in capite, quæ omnia possunt reponi sub prænominatis nominibus. sed disputatio de nominibus parum aut nihil confert in cura ægritudinis, tamen ut iunioribus satisfaciam has pono species magis in particulari.

¶ Primo dico quòd capiti accidit incisio quæ est parua non penetrans ad inferiorem superficiem cranei. uel penetrans & tamen subtilis est & sine læsione panniculi quæ potest appellari Capillaris. Et in cura eius proceditur sicut in cura ueræ capillaris factæ à re contundente ut loco suo dicemus. hęc uocatur nono practicę ab Haly. cap. iiij. Ragamia & in Pantęgni nono practicæ cap. xcvij. nominatur Darcam siue Rhagamia à rhagis, idest ruptus. Incipiunt alia species magis i particulari. Ragamia. Darcam. Capillaris.

¶ Alia est species in qua os est incisum superficialiter cum remotione primæ superficiei ossis quæ ab Haly. supra uocatur Aberia. in Pantægni uero dicitur Angin. Aberia. Angin.

¶ Est alia species in qua totum os est remotum usq; ad panniculos quæ ab Haly. dicitur apostatismos. in Pantægni cutomatos & apostatismos. Hanc speciem Albucasis uocat Axialem eo quia axia instrumentum sic operatur in ligno. Crederem ego quòd Aberia siue Angin uerius posset dici axialis: quia carpentarij in lignis non mouent axia nisi primam superficiem ligni. In istis tamen nolo conterere tempus. Ab auctore Axialis.

¶ Est alia species in qua frangitur craneum in partes plurimas & descendit ad syphach. infra os sanum ab Haly. dicitur Empiasma. in Pantæ-

Empiasma Antiaca.

gni dicitur Antiaca & Empiasma. Ab eisdem datur unus alius modus rupturæ qui est similis isti de quo non curo ponere nomen.

¶ Est alia species in qua os frangitur tantum inferius uersus panniculum. & dicitur Marusis ab Haly. in Pantægni uero Monesis uel Marusis. Hanc speciem credo ego esse plicaturam ossis quando os plicatur & intra tantum rumpitur & non extra.

Marusis. Monesis.

¶ Est alia species in qua os plicatur. Ad interiora quemadmodum accidit uasi plicabili cum durum percussit illud corpus. Quæ accidit ossibus mollibus ut puerorum. Hæc ab Haly. uocatur hæsena. Et dicitur plicatura sine ruptura Cranei: in ista credo ego aliquam rupturam esse: occultam tamen. & corpus sit molle modo suo maxime intra ipsum os.

Hæsena.

¶ Vnum scias uolo lector quòd superius adduxi auctoritatem Haly. nono practicæ & nono practicæ adduxi in Pantægni ferè idem. sed nota quod Pantægni fuit compositum ab Haly. tamen à Constantino Aphricano mutatus est libri titulus qui sibi Constantino tantos ascripsit labores, mutatis aliquibus contentis in libro Haly. qui dispositionis regalis dicitur liber. sed nuper quidam iunior symphorianus camperius dictus, dicit Pantægni & librum prædictum Haly. qui idem sunt mutatis tamen aliquibus esse Isaac. dicens Isaac seipsum in libro de febribus allegare in Pantægni, quòd uerum est, sed credo quòd sit alter Pantægni. sed quia idem. d. Rasim allegare Isaac in cõtinente quod uerum est ideo dico hoc opus non esse Isaac. quia antequàm esset hoc opus erat Rasis. ut apparet in proemio libri dispositionis regalis. ubi inter alios medicos. qui ante eum Haly. fuerunt. laudatur Rasis. ideo hac ratione motus teneo illud opus esse Haly. Et etiam quia uideo tot & tantos doctos uiros adducere auctoritatem Haly. & uni contra tot. & tantos uiros credere fatuum est: cui contradico habita licentia à prænarratis. Aliam habeo rationem quæ est. quòd Rasis. xv. continentis adducit auctoritatem Isaac. de sagittis extrahendis cum remedio ranæ suprapositæ: sed ubi nono practicæ in Pantægni datur modus extrahendi sagittas. ubi fit amplissimum & optimum capitulum de hoc nihil loquitur de rana, ideo dico istud Pantægni non esse Isaac sicut dicit

Furtum Constantini Aphricani.

An Pantægni alias liber regalis dispositionis sit Isaac uel Haly.

Symphorianus prædictus.

¶ Reperio præterea alias species læsionis in capite quę carent peculiari nomine. una est quòd interdum non fracto craneo rumpuntur aliqui nerui cerebri uel aliquę uenę in panniculis eius ex motu forti uel ex casu & percussione cum re graui potente mouere cerebrum & maxime in corpore sicco ut sunt corpora senum quibus magis aptum est moueri & rumpi cerebrum propter medullam eorum exiccatam & diminutam. ut patet sexto Aphorismorum per Gal. co. lviij. super illo Aphorismo. Quibuscunq; cerebrum motum fuerit ab aliqua actione necesse est sine uoce fieri statim. & ut experientia hoc anno uidi in Magnifico. D. Hercul. de Marschotis, qui plures habuit contusiones à re ponderosa, & nullam habuit in craneo rupturam: Et adhibita omni cura per medicos mortuus est tandem: & non dico tantum ex ruptura neruorum cerebri: quia isti sine uoce fiunt: maxime si patiantur nerui. à quibus oriuntur nerui reuersiui. qui dicuntur nerui uocis. sed credo quòd in ipso fuerit rupta aliqua uenula cerebri, & forte aliquis neruus: à qua uenula inducta fuerit mors propter sangui. ibi in loco non cognito putrefactum. Et ista species læsionis est mala & interitus causa. quia medici nesciunt locum uenæ. quia si scirent aperirent & mundificarent sangu. & saniem & ita posset ille sanari. Hanc opinionem de uenis tenet inter alios Celsus cap. de curatione Caluæ. istis uerbis. s. Aliquando tamen euenit ut os quidem totum integrum maneat intus uero ex ictu aliqua uena in cerebri membrana rupta aliquid sanguinis mittat &c.

Commotio cerebri & ruptura nerui uel uene.

Exemplum de cerebro moto uel de uena rupta in panniculis.

Vna mala species difficilis cognitionis & cure.

Celsi opinio de fractura uene subcraneo.

¶ Est alia species læsionis à me ter uisa in actu practico in capite à qua decipiuntur medici. s. quòd osse non fracto interdum à re graui contundente uel casu ab alto. quòd pars cranei qualiscunq; sit pars an anterior an posterior an lateralis percussa percutit in partem sibi oppositam: ita quòd commissura percutit commissuram propinquam: & etiam longinquam dico longinquam: quia possibile est quòd os frontis impellat ossa bregmatis: à quibus componitur in eorum medio sagittalis commissura: in osse laude & à commissura qualibet exeunt uili neruorum: & ipsa dura mater, con-

Contusio panniculi inter cõmissuras decipiens medicos.

iungens se almocati: & aliqua uenula & ita nerui & uenule & panniculus ipse inter duo ossa contunduntur: deinde in successu alicuius temporis putrefiunt: quia omne contusum necesse est putrefieri & insaniem conuerti. Et superuenit febris & alia mala accidentia. Et inde mors. Et in hoc hæsitant medici. Et credunt aliqui quòd stante contusione in una parte etiam cum fractura illius partis uel sine quòd sit fractura in opposita parte, per apparitionem saniei in opposito loco, sine fractura cutis: quia ubi panniculus est coarctatus & contusus à commissura ibi fit à sanie genita tumor aliquis, & saniei aggregatio: ut ego ter uidi anothomizando capita, & similes casus reperi absq; fractura oppositi ossis. An autem os possit rumpi in opposita parte suo loco dicemus, hoc sufficiat de speciebus solute continuitatis: quæ possunt esse ferè infinitę respectu causæ: quia alia magna: alia mediocris: alia parua & diuersarum formarum, quæ omnes possunt reduci ad supradictas species, maxime ab illis qui sunt boni iudicij, & solertis rationis, sine quibus ad hanc artem non accedant aliqui.

Saniei in opposito indicat aliquibus os ibi esse fractum.

¶ De nominibus specierum aliqua dixi ad iuuenum utilitatem non quòd in his sit intentio mea sed in curationis modo tantum intendo multa proferre. sic igitur quantum spectat ad primam partem. uisæ sunt species solutæ continuitatis & causæ. simul & nomina.

Ad secundam partem transeundum censeo.

Incipit secunda pars. Capitulum secundum.

¶ Solent Medici postquàm de essentia morborum, & de speciebus, & de causis eorum determinarunt. de signis alio loco dicere. Deinde de iudicio seu prognostico. Demum de cura eorundem.

¶ De signis primo dico, quòd facilius medici ueniunt in cognitionem solutæ continuitatis in capite facta à rebus incidentibus & perforantibus an sint cum fractura cranei & panniculorum læsione & cerebri, quàm à rebus contundentibus: & hoc consonum satis est rationi & cuicunq; experto.

Facilius cognoscitur incisio et perforatio q̃ cõtusio.

¶ Signorum ergo aliqua sunt quæ significant læsionem cranei tantum. Et aliqua quæ læsionem panniculorum & aliqua quæ læsionem cerebri, & aliqua sunt signa quæ significant apostemationem, & aliqua sunt signa quæ significant materiam defluxam & grauantem panniculos siue cerebrum. Et aliqua sunt quæ significant Craneum grauans: siue pungens cerebrum: aut panniculos. & aliqua sunt signa quæ significant panniculum durum esse seperatum à Craneo. Hæc sunt signa de quibus in præsenti pro cognitione specierum læsionum prædictarum intendo iunioribus scribere.

¶ Incipiamus ergo à signis læsionis Cranei. Dicimus quòd signorum. Alia præsumptiua sunt. Alia sensibus manifesta. Præsumptiua sunt hæc, scilicet oculorum rubedo: bilis uomitus. loquele amissio. Et casus ad terram percussionis tempore ictus robore. Et febris. & mentis stupor. Hæc enim non sine ossis fractura ueniunt. possunt tamen euenire hæc in cerebri commotione ut loco suo dicemus. Etiam si nullum horum secutum sit, dubitari potest an os fractum sit: quia non necessario ad ossis fracturam talia sequuntur. Sed considerata rei lædentis qualitate ut si lapide. ligno tælo uel ferro percussum sit. Et hoc ipso leni aspero an mediocri. An uastiore leniter an uehementer: quia quo mitior ictus fuit eo facilius os ei restitisse credibile est.

Signa præsumptiua læsionis Cranei.

¶ Signa uero sensibus manifesta non præsumptiua sed uere uera, possunt tactu uel uisu, uel utroq; certificari. inquit Celsus: ergo qua plaga est demitti specillum oportet. neq; nimis tenue. neq; acutum. ne cum in quosdam sinus naturales inciderit opinionem ossis fracti frustra faciat. Neq; nimis plenum, ne paruæ rimulæ fallant. ubi nanq; specillum ad os uenit. & nihil nisi lene & lubricum occurrit. integrum id uideri potest. Si quid uero asperum est, ubi futuræ non sint fractum os esse testatur. A futuris enim in fractura Cranei se deceptum esse testatur Hippocrates.

Signa lęsionis cranei sensibus manifesta.

Modus cognoscendi craneũ fractum secundum Celsum.

¶ Inquit Haly. de signis fracturæ Cranei. Et cuiuscunq; fracture quæ capiti accidit cognitio ex corporis fit uirtute: quòd percutit capitis Craneum pondereq; & duricie. Et ex percutientis uirtute. & ex accidentibus

Signa posita ab Halyabate de fractura.

quæ percusso accidunt. sicut scotomia uocis amissione. & casu subito significatur. Hoc quoq; cum os sub sensu cadit maxime si fixura in cuti pateat. & magna sit. si uero parua intelligas hoc ex inquisitione, quæ cum organo fit inquirendi. & fracturæ speculation. cognosces etiam inquit ex sono ipso. quia rauce sonat species autem fracturarum distingue prout superius dictum est.

¶ Aduerte lector quòd omnis species fracture est facilis cognitionis excepta Capillari: & excepta illa specie quæ ab Haly. Marusis uocatur, in qua os plicatur ad interiora, & uersus duram matrem ruptum est. non autem uersus almocatim sicut interdum contingit in ligno sicco: uel in aliquo alio materiali, quòd rumpitur intra manifeste, & exterius non apparet nisi diminuta ad intra compressio, & hoc magis contingit in sicco corpore: siue sit siccum per ętatem, siue per complexionē siue per utrunq;. Et ita interdum os squirlis pungit panniculum, & interdum non pungit. sed in interiori superficie cranei magis manifestantur fixure, q̄ in exteriori: quia exterius interdum nihil apparet, & hic casus inter alios timendus est: quia medicus cum maxima difficultate potest iudicare istam speciem lęsionis maxime sensu sed iudicio tantum præsumptiuo iudicabit, uisis accidentibus quæ sequūtur ad talem speciem, scilicet prænarratis scotomia, uertigine, febre, uomitu, oculorum rubedine, & similibus. Addita cognitione causę primitiuę, ut prius de mente Celsi & Haly. dictum est. Opinionem quorum multi alij & recte secuti sunt. Et maxime princeps noster Auic. cap. de Cranei fractura, uerbo illo. Illud uero in quo declinatur cum existimatione ad rectificationem. Alia litera dicit ad certificationem est ut consideretur causa fracture & ultimatio uirtutis rei frangentis in grauitate sua, aut in sua magnitudine, aut in sua fortitudine, ut per illud sciatur ultimatio quæ oportet esse ex fractura. Et similiter accidentia significant quandoq; illud ut apoplexia uel scotomia & destructio uocis & quæ sunt eis similia. Et notanter dixit quandoq; quia non semper ut experto potest patere.

Ista species iudicatur sola presumptione.

¶ Nota quòd interdum rumpitur cranium & non cutis & medicus ignorat locum

rat locum qui locus potest cognosci à medico quia æger ipse tangit locum qualibet hora ut inquit Auic. uerbo illo. Et multotiens quidem significat locum infirmus ipse & quòd tangit ipsum omni hora & maxime quando infirmus non potest loqui. Et maxime in illo casu in quo os fractum est & quòd uel pungit uel grauat cerebri membranas patiens ipse ex dolore loci tangit cum manibus locum quia naturale quoddam est. Et hoc apparet in quocunq; quòd ubi est aliquis dolor patiens ipse statim succurrit saltem cum manu. Et hoc omnibus est notum: non mirum est ergo si Auic. posuit tactum cum manu pro signo læsionis loci cui applicatur manus siue æger sit in bono intellectu siue non. & non saltem succurrit manu etiam caput hinc inde mouet quærens delitiam utrum autem hic motus sit naturalis uel uoluntarius alibi dicemus.

¶ Sed quia superius dixi cutim non rumpi sed craneum intelligas cutim non ruptam manifeste quia est rupta occulte: quia contusa est & soluta secundum numerum multum tamen non est separata manifeste. Et aliter nolo quòd intelligas quia diuisa & soluta est sepe cutis in partes minutas: sed quia est uiscosa remanet iuncta simul & non apparet soluta maxime apud inscientes huius artis.

Quia cutis est uiscosa non apparet soluta.

¶ Sunt & alia signa à iunioribus scripta scilicet quòd infirmus capiat filum inceratum dentibus & quidam alter teneat filum manu & tenso filo percutiat filum baculo uel aliqua alia re & si infirmus percipit dolorem in capite maxime in ea parte in qua est læsio dicunt omnino. os esse fractum si non potest pati stridorem factum à filo. Aliqui dicunt quòd astantes non possunt pati stridorem quòd ego non credo pro signo sunt bene aliqui qui naturaliter non possunt pati talia. & aliqui dicunt quòd ille solus qui tenet filum manu non potest pati stridorem: sed ego credo si hoc signum habet ueritatem quòd hoc solum contingat ægro. Et aliqui capiunt filum manu patiente eundem tenente dentibus. & uiolenter trahunt filum ictibus pluribus. si causatur dolor ut prius dicunt os esse fractum. Aliqui dant Amigdalam uel Auellanam uel nucem patienti ut tentet eam dentibus rumpere si dolorem causat in aliqua parte dicunt in ea parte os esse

Istis signis nõ est credẽdum.

fractum. Vel iubent aliquem nodum palee stringere & tentare si eam potest rumpere uel saltem bene constringere, & si non potest dicunt os esse fractum. inter alia signa Lanfrancus ponit in cap. de fractura cranei hæc duo esse certiora, alys, scilicet si caput sicco & leui baculo percussum mute & rauce sonat. & à filo incerato cum unguibus attracto ad altum: retentum ut supra stridorem faciat.

¶ Ista omnia ego expertus sum & istis signis parum credo. Vidi plures homines rumpere testas nucum & auellanarum persicorum & amigdalarum & sine dolore & tamen magnã habuerunt cranei fracturam. Et ex eis nonnulli mortui sunt: sed credo hæc experimenta causare dolorem si fractura sit propè locum ubi alligantur musculi mandibularum qui læsi pro parte non possunt bene mouere membra solita. Et ita masticando simpliciter cibum sentiunt dolorem in aliqua parte ubi magis musculi sunt læsi uel materia fluxa & propter uulnus uel contusionem magis est aggregata impediens liberum motum musculorum. Et consequenter motum maxillarum ut patet bono Anothomiste qui scit loca musculorum prædictorum. nec crederem quòd stridor fili sit signum uerum: quia ut supra dixi multi sunt qui naturaliter non possunt pati stridorem dentium nisi quæratur prius an hoc sibi sit solitum nocere.

Cognitio fractura cum humiditate nigra .i. atramento.

¶ Sunt præterea signa quæ docent cognoscere si fractura Capillaris penetrat totum craneum. Primum est appositio humiditatis nigræ supra fixuram & raspatorys uidere ad quem locum terminatur fixura. Et hoc est efficax: & uerum & indubitatum signum.

¶ Est aliud signum quòd clauso ore & naso patiens toto conamine impellat aerem à pectore ad caput. & si rimula penetrat uidebis aspiciendo aliquid exire ab ipsa rimula.

¶ Est aliud signum, scilicet capiendo masticem puluerizatum & albumen oui contusum tantum. quòd miscendo sit sicut mel solidum & hoc extendere super petia uel corio ea forma magna uel parua quòd possit poni supra os de quo dubitatur & sic dimittendo per diem tunc si ossis fractura penetrat dicunt masticem esse in directo fracturæ magis siccum

quàm alibi. Hoc est dictum magni Guidonis. & etiam Nicoli. sed Bertapalea in suo libro de fractura cranei facit duo emplastra quæ applicat capiti quibus cognoscit non fracta cute si craneum est fractum. Vnum est hoc. Recipe thuris. ceræ laudani. ana. onze. iij. misce & capiti raso applica per diem. & ubi os est fractum ibi cutis sicca est. Aliud emplastrum. Recipe cere. thuris laudani. ana. lib. i. terbentinæ. aceti. farinæ fabarum. ana. lib. media. fiat massa & capiti applicetur. Et ubi craneum fractum est inuenies emplastrum simul cum petia perforatum siue emplastrum diminutum & exiccatum magis.

Cognitio fracture cum emplastris.

¶ Contra quos disputandi causa aliquid dico & primo uel nondum sanies aliqua est apta exire per fixuram uel sic, si non dato etiam quòd sit penetrans potest esse quòd indirecto fixuræ exeant aliqui uapores calidi exiccantes masticem in ea parte ubi est fixura. Et maxime stante febre. & ita mastix in directo fixuræ erit magis siccum. Si uero esset aliqua sanies sub osse à uirtute masticis attractiua attrahitur sanies per fixuram. & ita in directo fixuræ adesset sanies uel aliqua humiditas. & ita hoc signum potest esse fallax nisi diligenter ruminetur.

¶ Oportet ergo in quacunq; specie fracturæ, aduertere plura signa, & non uno, nec paucis contentari, sed maiori parte. Et ubi potest medicus non solum stilo siue proba siue specillo certificari, sed digito etiam debet tangere, in quo est uerus sensus tactus. Et ita si medicus accedat ad ægros, siue sit rupta cutis, siue non, siue notabiliter, siue non considerata causa, quæ si fortis sit statim prima hora aperiat cutem, usq; ad os, triangulariter, siue quadrangulariter, ut cognoscat ægritudinem sine cuius cognitione non curantur ægri. Et si postponat hoc opus, postea tum ex inobedientia ægri, tum ex timore forte astantium, uel alia causa non audet medicus aperire, & craneum detegere, & potest alius medicus superueniens eum recte corripere. Et quia hęc ægritudo est acuta, uel forte per acuta quæ non dat indutias, quanto citius potest aperiri aperiatur, & ego laudo quòd hoc fiat in prima hora, quia tunc æger parũ sentit, ob causam quã scit quilibet, etiam quia postea medicus potest operari modo libero & cons-

Non est credẽdũ uno signo.

uenienti & non prolongabitur ægritudo. Et si secus fiat, forte accidet mors. Et hoc pluries contingit. Et non solum medicus debet esse solicitus & celer in operationibus capitis: sed omnium aliorum membrorum: quia si talis operatio postponatur: licet alia remedia fiant nequaquam tamen prosunt, si talis operatio ut præmittitur necessaria iudicatur, & ut inquit Gal. quinto ingenij cap. xv. tales medici sunt similes cuidam nautæ negligentiam suæ naui præstanti, usq; dum frangitur, deinde dat unicui q; tabulam iubens ut adiuuent se quatenus per eam possint euadere mortem. hãc sententiam ponit Mesue, inquit, per omnia, o tu corporum curam gerens auxiliari ne diferas: quia semel pereunti, nulla deinde suffragia prosunt.

Medicus sit solicitus quia aliter sequitur mors.

¶ Audacter ergo quilibet aperiat, & detegat craneum: quia ex eius detectione nullum sequitur nocumentum: sed aperitur uia ad operandum quocunq; opere uolueris operari, & trapanando, & raspando, & extrahendo ossa, & in omni negocio perficiendo. Nam cutis capitis, est cum pauco sensu, exceptis partibus lateralibus, & fronte, in quibus sunt musculi notabiles, quæ cutis si incidatur paucum infert nocumentum. & cito sanescit. ut inquit Celsus cap. de cura calue inquit. Nec tamen magno negocio cutis sanescit, etiam si frustra dissecta est.

¶ Tutius ergo est incidere cutem, & detegere craneum suspectum, & etiam in fronte, & in temporibus si contingat, cum cautela tamen, scilicet secundum longitudinem musculorum. Considerata tamen prius ægri uirtute præ cæteris alijs considerandis.

In fronte fiat incisio cũ cautela.

¶ Nec sit ex uerbis meis aliquis audax, nec temerarius: sed mensuratis mensurandis tute detegatur craneum. Et hoc sufficiat quantum ad signa cranei. sed ubi de cura dicemus dabimus etiam modum, caute procedendi in craneo. Et infra craneum, auxiliante nobis qui trinus & unus est.

¶ Vtrum percusso Capite in una parte rumpatur os in opposito.

SEd antequam ulterius procedam, dubitatur utrum percusso craneo in una parte, possit fieri ruptura in opposita parte, super quo dubio diuersas reperio opiniones. primo Celsus loco prænominato, tenet

quòd sic & expresse ponit hanc literam. Solet etiam euenire, ut altera parte, fuerit ictus, & os altera fiderit, itaq; si grauiter aliquis percussus est, si mala indicia subsecuta sunt, neq; ea parte qua cutis discussa est, rima reperitur, non incommodum est, parte altera considerare, non quis locus mollior sit & tumeat, eumq; aperire si quidem, os fissum reperietur.

Opinio Celsi quòd sic.

¶ Sunt multi moderni qui uolunt Auic. hoc idem sensisse cap. de fractura Cranei illo uerbo. Et ut curetur fractura oportebit ut findatur à cute cum quantitate qua non retineatur uirus, nisi fueris securus de additione apostematis, & inueneris apostema ruptum, & appareat fractura una. quando q; enim accidit inde error magnus. putatur enim quòd non sit fractura nisi illa &c.

Aliqui dicunt Auic. sentire quòd sic.

¶ Multi alij moderni sunt eiusdem opinionis, quòd percusso craneo in una parte, sit fractura in opposita. Et inter alios est Nicolus Florentinus qui recitat historiam, se uidisse quendam funaiolum, qui percussus fuit cum claui in dextro tempore & facta apertione craneum non erat fractum ibi in uigesimo autem die, superuenit ei rigor & febris, in die autem. xxiij. apparuit liuedo in opposito tempore, & mortificata est ibi caro, & facta à motione illius carnis, repertum est craneum fractum. ille tamen mortuus est.

Opinio Nicoli qui sic.

¶ Nota tamen quòd prædictæ opiniones non negant si craneum rumpatur in opposito percussionis: quin possit rumpi: & in loco percusso, & in loco sibi opposito: quia si concedatur oppositi ossis fractura tanto plus in loco prius contuso: potest esse frastura, & hoc planum est cuicunq; ingenioso & experto.

¶ Oppositas opiniones reperio. Contra prædictas scilicet quòd percusso craneo in una parte, in opposita non possit fieri fractura. Quorum omnium fundamentum sumitur à Paulo. vi. suæ chirugie. opinionem cuius recitat ille subtilissimus Dinus de Garbo, & Gentilis de Fuligno exponentes tractatum Auic. de fractura cranei quinta quarti tractatu tertio cap. primo. Super uerbis Auic. in mediate à me adductis.

Opiniones qui non. Dinus. Gẽtilis qui nõ. Guido.

¶ Et etiam huius opinionis est, magnus Guido de Cauliaco. Et multi

aliy. Gentilis tamen titubat, dicens se habuisse à fide digno contrarium. Et rationes Pauli sunt hæ, quòd craneum non potest rumpi eo modo, quo uasa uitrea, nec eo modo quo cucurbita sicca. primo, quia craneum non est ita frangibile. nec ita siccum, sicut ea, nec ita uacuum sed durius ac solidus, & cerebro plenum. Et quòd plus est, & hæc ratio fortior est alijs non est continuum, sed à commissuris diuisum. distinctum & separatum. Et ita re uera hæc ratio concludit, scilicet quòd ab una commissura ultra aliam nunquam transibit ruptura. Et hoc constat cuicunq; experto quòd percussa quacunq; parte alicuius corporis contigui, nunq; transibit à parte ad partem læsio tacta una parte tantum.

Ratio quar Cranium rumpi nõ potest alte ra parte ut alia uasa

¶ Visa igitur inter tantos tite & controuersia, non quòd meum sit inter ipsos componere lites, dicam tamen, quid de hoc sentio.

¶ Et primo dico, magnam esse Celsi authoritatem, & illi satis credendum, quia antiquissimus est author & magni ponderis. hic post Hippocra. ex primis est. Eius tempore alia medicine adhibebatur cura, quàm nostris temporibus, & maxime parti chirurgicæ. ut testatur & noster Rasis & Auerois. & magnus Albucasis. Dicunt enim maiorem partem chirurgiæ periisse, & eam esse prostratam tempore suo, ex hoc in fero ante eos fuisse optimos medicos nomina quorum in hac arte, recitat pro parte Celsus libro suo. vij. capite primo ubi recitat conditiones chirurgici, & qui in ea claruerunt & tempore Celsi erant optimi chirurgici. Et quamuis prædictorum tempore, esset in manibus stolidorum. tamen etiam Auic. & Rasis & Auer. non dedignati sunt de ea tractare: sicut de potione & de dieta, nam dieta & potio indigent chirurgia. & econtra teste. G. in libro qui introductorius medicorum dicitur cap. x. inquit curatiua uero in dietam chirurgiam & pharmaciam, dieta quidem est ductio diaphoreticorum & compositorum. Et digestiuorum assumpta in omnibus ægris: dominatur uero in febricitantibus, Chirurgia uero est pars curatiuæ per incisiones & adustiones & eas quæ circa ossa articulationes sanans homines. pharmacia uero est pars curæ per nuda pharmaca intrinsecus & extrinsecus passiones sanans. indigens quidem alterutra, dieta quando q; au-

Celsus fuit ante G.

tem & chirurgia egens. sicut & chirurgia utitur dieta. & pharmacia &c. hanc opinionem tenet Celsus.

¶ Inquit de chirurgia hæc uerba. Ea non quidem medicamenta nec uictus rationem omittit, sed manu plurimum præstat: estq; eius effectus euidentissimus inter omnes medicinæ partes. siquidem in morbis cum multum fortuna conferat eademq; sæpe salutaria, sæpe uana sint. Potest dubitari secunda ualitudo. medicine, an corporis beneficio contigerit. In his quoq; in quibus medicamentis maxime utimur: quamuis profectus euidentior est: tamen sanitatem & per hæc frustra quæri: & sine his sæpe manifestum est. sicut in oculis deprendi potest, qui à medicis diu uexati, sine his interdum sanescunt. At in ea parte quæ manu curata euidens est: ut aliquid ab alijs adiuuetur, hinc tamen plurimum trahere, hæc autem pars cum sit uetustissima, magis tamen ab illo omnis medicinæ parente Hippocrate quàm à prioribus exculta est. Vides lector his uerbis quid sit chirurgia, & quantum ualeat & cui parti medicinæ magis credendum. Sed credo ego & bene. Chirurgiam postponi propter labores in ea contentos. Et quia pauci audent tractare requisita in ea, & talia non sunt sine nausea & abhominatione, & de hoc satis dictum sit alibi latius de hoc. Danda est etiam fides Gentili, ubi dicit se à fide digno habuisse per experientiam contra opinionem Pauli.

Chirurgia prior & uerior dieta & potione.

¶ Dicam tamen quæ mihi in hoc occurrunt. Et dico quòd magis ego crederem Paulo & Dino & Guidoni & sequacibus quàm alijs. Nec dico authoritatem Auic. esse in fauorem eorum. qui dicunt Auic. dicere craneum, rumpi in opposito contusionis. Sed implicita est illa authoritas. Et potest in eos retorqueri ut expresse declarat Dinus. Inquit enim Dinus quòd Auic. in illa litera scilicet. Et aliquando accidit error magnus. Putatur enim quòd non sit nisi fractura illa, intelligit quòd interdum rumpitur craneum in aliqua parte propter aliquam contusionem, & non solum est una fractura sed plures. tamen nõ est manifesta nisi illa. Et sic oportet aperire locum contusum: quia interdũ sunt plures una. sed non sunt oppositę, nec multum distantes. sed aliqua earum est manifesta à re contundente. &

Auic. aliter intelligitur.

Opinio Dini.

lacerante Cutem, quæ est talis & tanta quòd apparet fractura una, tamen ibi prope sunt aliquæ aliæ occultæ. Et in istis casibus debet medicus considerata magnitudine causæ aperire & plures fracturas inueniet. Et hoc ego in actu practico pluries ac pluries feci, & prænarrata uidi: ideo concurro in hoc cum Dino. Ad expositionem litere Auic. nec solum hoc contingit, quòd sint plures fracturæ sed una sola, quæ satis est longior & maior quàm fixura quæ est in cute: ideo optimum est semper ampliare fixuras, & in latum & in longum. Et ita operator fugiet errores & superuenientium medicorum calumnias. Et ægro succedet quantum erit in medicina laudabilis finis.

Responsio ad dicta Pauli et aliorum.

¶ Ad rationes adductas per Paulum, recitatas à Dino & à Gentili & ab alys, dico quòd ratio siccitatis, & continuitatis & uacuitatis in uasis uitreis, & in alys corporibus concludit quamuis sint plena uento, uasa illa posse rumpi in opposita parte, & in quacunq; parte remota siue propinqua. Sed ratio contigui. Concludit totum oppositum stante uera contiguitate siue talis contiguitas sit in corpore plano siue in curuo sed reperiuntur aliqua capita quæ uere sunt contigua diuisa suis commissuris. Sed aliqua reperiuntur quæ sunt continua uel quasi ut ego pluries uidi mortuorum capita in cimiterijs exiccata. Aliqua enim sunt in quibus distinctæ apparent commissuræ. Aliqua in quibus cum magna difficultate uidentur.

Capiti deso fit rupiura in opposito.

Et si similibus capitibus contingat fieri contusionem grauem. credo & pono pro possibili, fieri rupturam in opposita parte. Verum est quòd operantium tanta est ignauia quòd unum interdum pro alio capiunt ut ego uidi ter ut supra dixi illum modum læsionis in capite, scilicet quòd inter commissuras contunditur panniculus uersus oppositam partem, qui postea aggregat materiam. & hic loci fit tumor & medici ibi inueniunt saniem: & carnem corruptam & rimam commissuræ. Et credunt esse rupturam causatam à prima contusione. & ita multi alij medici secum decipiuntur qui pauca considerant & pauciora sciunt.

¶ Contingit etiam interdum quòd aliquis percutitur in una parte cum lapide, ligno uel alia re graui, & in ea parte non rumpitur craneum, &

forte

forte quòd sic & ille cadit ad terram, in opposita parte, uel obuiat cum capite in parte opposita parieti uel alteri rei, & rumpitur Craneum in opposito non rupta cuti: postea uel statim uel ad tempus manifestatur ea ruptura. Et multi dicunt quòd craneum est in opposito ruptum à prima contusione manifesta. Et in hoc multi decipiuntur & forte aliqui de supradictis decepti fuere. Non nego impossibilitatem. Sed dico esse per difficile, & dico quòd multotiens dicunt medici fracturam esse in opposita parte, & dicunt purum mendacium: quia multi ad hanc artem accedunt qui ignorant prima elementa medicine.

Fractura est difficilis nõ autẽ impossibilis

¶ Signa si panniculi sunt soluti.

VIsis signis Cranei fracti. Secundo loco dicendum est de signis panniculorum, si panniculi sint incisi uel perforati uel ab osse lacerati puncti & disrupti de apostematibus eorum, & quando grauantur à craneo & læduntur à materia defluxa loco suo dicemus.

¶ Signa ergo læsionis panniculorum sunt hæc, scilicet si panniculi sint perforati, incisi, & lacerati, fit dolor notabilis capitis fixus, & ad intra caput, & dolent oculi, & simul cum percussione uel parum post uenit talis dolor, & natura doloris est quòd sit pungitiuus, & fixus. Et accidit uomitus choleræ quia illa est magis mobilis & hoc accidit per compassionem stomachi ad cerebrum per illos notabiles neruos descendentes. Teste Galeno tertio interiorum cap. vij. inquit: quia stomachus sequitur in passione caput: & caput stomachum causa est magnitudo nerui descendentis à capite ad os stomachi. Et propter hunc neruum os stomachi sensibilius est omnibus membris corporis, ideoq; etiam semper sequitur capitis fracturam, quæ uenit usq; ad pelliculas cerebri cholericus uomitus, & pluriumum sequitur passionem capitis qualiscunq; fuerit uomitus. Et interdum fit colica propter eandem causam, & uniuersalis intestinorum dolor: quia omnia intestina sensum habent à neruis prædictis. Et appetitus deiectio, & digestiuæ et expulsiuæ debilitas, et omnium uirtutum simul, propter eandem causam. Et oculorum rubedo. tunicæ enim oculorum ortum habent à panniculis cerebri. Et uenit febris ex dolore quæ est ephimera ex

Signa lesionis pãniculorum.

Vomitus fit à colligantia stomachi ad caput.

agitatione spirituum animalium in cerebro, maxime si læsio est notabilis, & quòd subito accidat febris potest tamen euenire, & putrida febris: sed non ita subito ex putrefactione alicuius materiæ uel in uenis uel etiam extra uenas, siue sit in capitæ, siue alibi. Et pustulæ in facie accidunt ex humoribus ad eam eleuatis, & sanguis ab auribus à palato & à naso. Et etiam interdum exit sanguis de sub osse ab aliqua uena in panniculis læsa, & apparet nigredo linguæ & etiam singultus quòd est pessimum signum. Et hæc accidentia sunt maiora & minora secundum magnitudinem & paruitatem læsionis. Et etiam secundum panniculum quia maiora sunt accidentia, læsa pia matre quàm dura. Et secundum locum læsionis: quia si lædantur isti panniculi in loco in quo sunt notabiles uenæ in panniculis, quòd difficile est aliter fieri, maxime in pia matre à uenis illis exit sanguis qui putrefit & facit sceua accidentia. Et etiam raro læditur pia mater quin lædatur cerebri medulla ideo sequuntur apoplexia, destructio uocis & rationis: quia læsa pia matre patitur totum cerebrum. Nam pia mater pro maiori parte fit ab arterys & uenis per quas arterias deferuntur spiritus uitales in reti mirabili præparati, siue secundum aliquos facti animales. Et hæc pia mater non solum tegit cerebrum extra & illud nutrit: sed etiam intra uentres eius ingreditur. Et per orificia arteriarum eius ingreditur spiritus prædictus uentres cerebri. Hac de causa accidit destructio rationis & scotomia. Et accidit in istis uulneribus tremor & rigor: quia contrahitur in se cerebrum fugiens & expellens nocitiuum. Et ex eadem causa fit spasmus, quãuis etiam spasmus fiat à materia transmissa ad neruos, qui spasmus esset de repletione. sed potest esse etiam spasmus, non proportionatus ad materiam. Et uterq; spasmus potest in breui tempore superuenire: & ita etiam fit paralysis & tortura. Et stupor membrorum à materia transmissa ad illas partes.

Maiora sunt accidentia lęsa pia matre q̃ dura.

Raro lædit.r pia mater quin lædatur medulla.

Causa destructionis rationis & scotomie cã tremoris & rigoris.

Causa spasmi. Causa paralysis & torture. Causa stuporis

¶ Nota quòd Auicenna prima terty, dicit quòd accidit laxitas in latere uulneris & spasmus in opposito, ut in pluribus, tamen dico quòd contingens est euenire oppositum, scilicet in parte læsa spasmum in opposita autem paralysim. Item contingens est euenire unum tantum & non aliud.

Quare paralysis in eo latere & spasmus in opposito.

Nec horum aliquod, scilicet nec spasmum nec paralysim.

¶ Sed causa propter quid accidit spasmus in opposita parte & paralysis in eadem est: quia pars propinqua uulneri est magis debilis, deo relaxatur: quia non potest contrahi: opposita uero potest contrahi.

¶ Item alia est causa quia parti læsæ currit maior materia & subtilior: quia primo mouetur ad partem debilem: postea ad fortem. Et subtilior est mobilior ideo citius ad partem læsam currit. & sic mollificat. grossa autem oppositam partem spasmat.

¶ Et accidit apoplexia à materia oppilante uentres cerebri. Et syncopis ex compassione cordis. Cor enim compatitur cerebro & econtra. Hæc omnia signa ueniunt subito uel quasi si panniculi sint læsi ut supra.

Causa apoplexie.

Causa syncopis.

¶ Si uero isti panniculi essent contusi inter commissuras exeuntes: quia dura mater est ibi, talia accidentia sunt debilia. Et ueniunt ad notabile tempus tardius & citius, secundum magnam uel paruam læsionem, & secundum corpora munda & immunda fortia & debilia. Et secundum tempus anni. & secundum ætatem, & secundum regionem, & secundum regimen rerum non naturalium, & secundum modum curæ adhibitæ.

¶ Sed accidentia quæ sequuntur ad prædictam contusionem inter commissuras non sunt per contusionem tantum: sed sunt etiam per putrefactionem panniculi læsi, uel quòd aliunde illuc transmissa est materia, quæ non regulata à natura putrefit, & per modum continui se ipsam augumentat: quia quòd tangitur à putrido putrefit, & cum uenit ad certam quantitatem determinatam incipit febris & alia accidentia. Et tandem sequitur mors nisi cito succurratur, quamuis etiam tunc sit difficile succurrere, & dato etiam quòd res à principio esset nota & esset talis ut supra: sed tanto plus est difficilis, quantum est occulta sensibus & non cognoscitur hoc, nisi iam facta sanie in loco, à principio enim est occulta, & nescit medicus quid agere, nec ubi agere debet, quia ignorat ægritudinem & locum. Et talis species læsionis est inter alias mala & difficillima ad cognoscendum. Adsunt etiam uigiliæ & angustiatur æger. Et est totus prostratus.

Accidentia nõ sunt à contusione sed à sanie.

¶Hæc sunt signa læsionis panniculorum, tamen interdum talis & tam magna est fractura Cranei, quòd medicus non solum istis signis cognoscit læsiones panniculorum, immo certificatur uisu & tactu.

¶Signa cerebri soluti.

SIgna læsionis cerebri sunt eadem quæ dicta sunt de læsione piæ matris, addito hoc, quòd exit medullaris cerebri substantia, quamuis sit possibile quòd cerebrum sit læsum, maxime à re subtiliter perforante, uel à re incidente superficialiter & diminute tamen, & non exeat aliqua pars medullæ cerebri, tamen exit ut in pluribus, & teneas hoc esse cerebrum, si exit aliqua substantia alba, quæ appareat medulla: quia non potest esse nisi cerebrum, & maxime si exit in primis diebus, ante tempus generationis sanieiquia interdum aliqui dicunt cerebrum exire à uulnere & est forte sanies. Non negamus quin & post notabile tempus, & etiam tempore quo adest multa sanies, possit exire substantia cerebri: quia circa xiij. diem uidi ego substantiam cerebri exire, & etiam superuixit ille.

Signa uulnerum cerebri.

¶Dico preterea, quòd hęc signa à doctoribus scripta, habent ueritatem ut in pluribus, tamen uidi ego, læsionem in panniculis, et etiam in cerebro, et non fuit febris, neq; aliquod malum accidens, ut latius dicemus, quando de prognostico sermonem faciemus.

¶Et prędicta signa sunt quando cerebrum læsum est à re incidente contundente et perforante cum manifesta cerebri et cranei læsione et etiam cum occulta.

¶Signa Cerebri Commoti.

SEd quia interdum etiam contingit, cerebrum lædi aliter, ut supra de speciebus læsionis capitis diximus, scilicet quòd cerebrum à casu ab alto, uel contusione, uel alio modo concutitur, uel mouetur, & aliqui nerui in eo rumpuntur, uel aliqua uenula ideo hic de isto modo læsionis signa ponere intendo.

¶Et dico quòd interdum contingit cerebrum moueri & agitari à causis prædictis non rupta cute, nec craneo, uel interdum cute, & non craneo. & rumpuntur aliqui nerui cerebri, & secundum neruos ruptos, accidunt membris ad quæ uadunt tales nerui, diuersa accidentia. Sunt enim. vij. pa-

Signa cõmoti cerebri.

ria neruorum, quorum aliqui uadunt, ad oculos, aliqui ad linguam, aliqui ad aures, aliqui ad stomachum, & aliqui ad intestina omnia, ad dandum sensum his membris, uel saltem ad panniculos eos tegentes, & epati & spleni & alijs membris prout notum est, in bona anothomia. & de ista lęsione neruorum mentionem facit. Gal. vij. aphor. commento quinquagesimooctauo sicut ego supra ipsum adduxi cum de ista specie læsionis sermonem faciebam. Et signum huius læsionis ponitur à Gal. loco præallegato. Dum dicit quòd isti efficiuntur sine uoce statim. Et sic si ad manus tuas adueniat patiens qui loquelam subito amittat, & qui percussus fuerit à re potente mouere cerebrum, uel quòd ceciderit ab alto, cum conditionibus, quæ te persuadeant ipsius cerebrum potuisse pati, etiam non rupta cute, uel rupta cute & non craneo, uel etiam facto craneo. Firma iudicium tuum sub hoc, quòd cerebrum possit esse motum uisis malis indicijs, non solum de amissione uocis, sed etiam possunt euenire omnia accidentia prænarrata, quamuis subito non eueniant, & ita non solum iudicabis rupturam aliquorum neruorum prædictorum: sed forte rupturam alicuius uenulæ in panniculis contente.

¶ Sed non ita cito ueniunt accidentia uenæ ruptæ, sicut neruorum ruptorum, sed ueniunt eo tempore quo sanguis incipit postea sub osse putrefieri, tardius & citius secundum quantitatem sanguinis, & etiam secundum locum, quia si inter craneum & duram matrem, tardius ueniunt accidentia q̃ si inter duram & piam, & tardius inter piam & duram matrem, q̃ inter piam matrem & cerebrũ, causas non recito quia per se notæ sunt. Signa uenę rupte sub craneo

¶ Et ista species læsionis est difficilis cognitionis, tamen possibilis maxime per expertos considerata ægritudinis essentia, & causa, & accidentibus: sed difficilior est cura: quia medicus forte nescit locum sanguinis, & saniei, & necessario desistit à rationabili cura, & sic moriuntur pauperes ægri. Quod sit difficilis curæ hæc species testis est Serapio primo breuiarij cap. de soda à percussione, inquit. Et quando homo cadit ex loco alto forte accidit ut disrumpatur aliqua ex partibus cerebri aut retis quæ dicitur secundina & soda quæ Accidit in ea est difficilis sanationis.

¶ Tamen si datur ingenium in cura eius talis est, scilicet quòd totum caput medicinis debitis tegatur, ut latius dicemus quando de cura fiet sermo: quia ignoratur determinatus locus sanici: ut prædixi & etiam neruorum ruptorum, ut plurimum.

Ignoratur proprius locus in multis dispositionibus capitis

¶ Similiter ignoratur proprius locus in multis alijs capitis dispositionibus, teste Gal. iij. interiorum cap. iiij. Inquit similiter nullam significationem inuenimus, locum infirmum ostendentem, in melancolia, in mania, in epilepsia, in lethargia, & in stupore quem moderni medici dicunt congelationem in spasmo, & in titillatione, in quibus omnibus nullam significationem inuenimus esse, quasi fondamentum passionis nec duritiem, nec tumorem, nec dolorem, nec caloris pristini mutationem. nec aliqua de corpore egredientia &c.

A sanguine putrefacto sub craneo uenitũt sceua accidẽtia

¶ Aduerte lector quòd accidentia prænarrata in læsione panniculorum & cerebri: possunt fieri à sanguine putrefacto sub craneo: secundum loca ad quæ uadit. & secundum quantitatem ideo non mireris: etiam si non læsis panniculis nec cerebro: sed solum à uenis ruptis uel forte neruis accidant prædicta accidentia: quia etiam possunt accidere multa ex accidentibus prædictis non læsis panniculis nec cerebro. Et maxime si contingat saniem aliquo modo descendere à superioribus per rimulam ossis: uel forte per porositatis ossis resudare ad intra craneum: maxime quando sanies non habet à uulnere liberum exitum. Et hoc ego uidi in actu practico anothomizando capita mortuorum à simili casu non rupto craneo nec panniculo aliquo læso. A sanie enim descensa per porros cranei supra panniculos causatur febris: & rigor & uomitus & singultus & alienatio: & alia accidentia similia prædictis, per compassionem membrorum inferiorum ad cerebrũ: & cerebri ad panniculos propter saniem eos corrumpentem & putrefacientem: & tandem mors sequitur.

¶ Sint ergo medici diligentes & prudentes & soliciti: quia periculum est in mora: & non dedignentur sæpe uisitare ægros: quia per longam moram cum eis ueniunt in cognitionem ægritudinis consequenter & curæ. Et hæc sufficiant pro signi commoti cerebri.

¶ Signa cuiuslibet malæ complexionis capitis.

ALio loco de mala complexione cuiuscunq; modi: & de apostematibus cerebri & eius panniculorum dicendum est.

¶ Dico igitur quòd ex contusione perforatione & incisione in capite diuersimode tamen factis & diuersis temporibus & secundum indiu. dua munda & immunda debilia & fortia & secundum eorum regimen tam præsens quam præteritum & modum medendi exhibitum: accidunt capiti: malæ complexiones & consequenter apostemata: & alia accidentia has ægritudines necessario sequentia: quæ medicus totis uiribus tenetur prohibere: inquit Auic. nam de melioribus rebus quas intendimus in cura uulerum est eorum apostemationem prohibere.

Causæ apostematum & malæ complexio.

¶ Sed antequam fiat de apostematibus sermo dicamus de mala complexione calida & frigida: sicca & humida materiali & immateriali capiti contingente.

¶ Et dico quòd accidunt solutionibus capitis malæ complexiones omnium modorum: licet rarius frigide: materiales & immateriales: & eodem modo apostemata cerebri & panniculorum omnium modorum: rarius tamen apostemata frigida contingunt quàm calida: & ratio est duplex primo: quia humores calidi sunt subtiles: & primo mobiles: frigidi uero econtra: & quia habet fieri apostema in membro solido cuius porositates sunt angustæ & materia grossa: est inepta figi: ideo frequentius fiunt apostemata calida quàm frigida: ut etiam contigit de pleuresi: quæ raro fit à materia frigida: tamen interdum fiunt apostemata frigida in capite: & maxime in complexione apta ad hoc, licet non sint uere frigida. Sed mixta quia raro datur apostema singulare: ut inquit princeps tertia quarti cap. de apostematibus in uniuersali.

Propter quid rarius acc. apostemata frigida frequentius uero calida.

¶ Aduenit tamen quòd sæpe accidit capiti mala complexio calida uel frigida. sicca uel humida immaterialis: & cum materia sine apostemate in capitis percussione & frigida ut plurimum accidit ex aere frigido illam introducente & hoc est ex parte regionis uel ex parte malæ custodiæ, &

inertiæ ægri & astantium. Et interdum ex parte impotentie ægrotantium, qui non habent loca clausa & calida prout requirit anni tempus quæ mala complexio introducta est causa apostematis: et est tanquam causa efficiens apostematis. Et si quæratur quæ ergo est mala complexio quæ est in apostemate cum non detur apostema sine ægritudine consimili. Dicitur quòd est alia mala complexio introducta: quia primo in apostemate currunt humores qui soluunt continuum, & materia ibi retenta quamuis etiam esset laudabilis in quanto & quali acquirit ebulitionem: quia est extra uenas & non euentatur & sic causat malam complexionem, uel forte quod materia est talis quòd ex se sine ebulitione inducit malam complexionem & etiam cum ebulitione & de hoc infra. Et sic una mala complexio erit tanquam causa & alia erit ægritudo integrans apostema.

Mala complexio causa efficiæ apostematis

¶ Signa igitur malæ complexionis calidæ sine materia sumuntur à causa primitiua ut plurimum: quia sæpe inducitur qualitas calida ab aere accidentalier calido ultra debitum uel quia tempus, & regio ualde calida sunt uel caput tenet calidis panis tectum uel ab aliqua medicina ualde calida locali applicata ut hodiernis temporibus faciunt aliqui imperiti cum aqua uitæ composita ex diuersis calidis simplicibus secum infusis & distillatis: uel cum emplastris & unguentis calidis indebite approximatis, uel ex ira & aliquibus animi passionibus uel ex motu corporeo: uel quia actu medicinæ calidiores debito approximatæ sunt. Et hoc contingit in complexione calida de facili & tardius & citius secundum causarum concordantias.

Cause male cõplexionis calide

Signa male cõpl. cal. siue ma.

¶ Habitis istis causis apparet etiam ad sensum caliditas faciei & totius capitis. Adsunt etiam uigiliæ sitis & oculorum immobilitas & omnium animalium operationum agilitas nisi sit quòd impediat. Inquit Auic. prima tertij cap. xix.

Signa

¶ Ipsam significant inflammatio, & priuatio grauitatis, & uigiliæ, & inquietudo in motibus: & permutatio in imaginationibus: & agitatio & uelocitas in ira, & rubedo oculorum, & iuuamentum ab infrigidantibus & nocumentum à calefacientibus.

¶ Signa

¶ Signa autem qualitatis frigidæ sunt sibi opposita & in totum contraria, nisi quòd adest grauitatis priuatio. unde Auic. ubi supra cap. ij. inquit. ¶ Sentitur frigus cum priuatione grauitatis & pigritia & tepiditas: & albedo coloris faciei & oculi, & diminutio in imaginationibus & declinatio ad timorem & iuuamentum à calefacientibus & nocumentum ab infrigidantibus. *Signa malę cõpl. frigi sine ma.*

¶ Signa uero siccæ complexionis sine materia, est leuitas & antecessio euacuationum, & exiccatio narium & multa uigilia. *Signa malæ compl. siccæ sine ma.*

¶ Signa uero malæ complexionis humide sine materia. Adem pauca graueda & pigritia & tepiditas tactus & quòd effluit est paucum. Adest obliuio & somnus multus. *Signa humide sine ma.*

¶ Si uero ista sunt mixta, signa sunt mixta secundum qualitates prædictas & illas indicabit qui est boni iudicij, ideo silentio transeundum putaui. *Signa mixte cõpl. sine ma.*

¶ Scias tamen uolo lector quòd omnia non possunt scribi: nec licet quia legentes tædio afferrent. nec hæc ignaris scribimus, sed eis qui alios uiderunt authores. & qui naturali pollent ingenio. Inquit Damascenus ingeniũ naturale adiuuat artem & naturam regentem. Istis ergo signis sint contenti legentes: & ad alios transeant authores de labore tamen nostro secundum merita gratiam referant.

¶ Signa autem malæ complexionis panniculorum & cerebri omnium modorum cum materia sunt ferè eadem cum signis apostematum Auic. ubi supra cap. xxiij. & xxv. de signis dominij materierum calidarum inquit. *Signa calide compl. cũ ma.*

¶ Cholericæ quidem grauitas non superflua & mordicatio & inflammatio & adustio uehemens & siccitas, & strictura narium & sitis & uigilia & citrinitas coloris faciei & oculorum rubedo. *Signa cholericæ.*

¶ In sanguinea. Augumentũ grauitatis, & fortasse pulsatio & inflatio faciei, & oculorum, & exuberatio uenarum & fortis somnus. *Signa sanguinee.*

¶ Et de signis materiæ frigidæ frigus sensatum longitudo læsionis & assiduatio eius. Paucitas rubedinis faciei: oculi sunt cum pigritia & te- *Signa cõpl. frigidæ cũ ma.*

peditate, albedo faciei. & oculorum, priuatas citrinitatis, cum grauitate sensata.

Signa phlegmati. ¶ Sed in materia phlegmatica maior est pigritia & subet fortis. & obliuio & plumbeitas coloris in facie & oculis.

Signa melãc. ¶ In melancolica grauitas minor & uigiliarum plures & alienatio & cogitatio corrupta & tenebrositas oculorum & faciei.

Signa mixtæ ma. ¶ Et ita etiam, si materiæ sunt mixtæ signa sunt mixta. & signa dominantia arguunt etiam materiam dominantem ut infra de apostematibus dicetur.

¶ Signa Apostematum interiorum capitis.

Signa apost. calidi, ab Haly. SEd apostematum signa incipiendo à calidis sunt hæc continua febris cuius calor non multum fortis est sub tactu secundum Haly. in nono Theoricæ cap. iiij. Sed tranquillus & mediocris & facies & caput calidiora reliquo corpore tactu & mentis alienatio & uigilia & nonnunq̃ somnus accidit à quo excitantur cum clamore & saltu & lingua nigrescit, & est aspera. Et de uestibus tanq̃ aliquid legunt propter phantasiæ corruptionem nonnunquam lachrymantur oculi quandoq; ophthalmici quandoq; sicci: sed signa prædicta sunt ut supra: & maximæ febris si aliquid phlegmatis sanguini uel choleræ uel utrisq; mixtum est.

Signa sanguin. apost. ¶ Cui autem sanguineum accidit apostema, insunt prædicta accidentia cum risu sopore & oculorum dolore & garrulitate & ineptia, & febris est intensior, & faciei color rubeus.

Signa cholerici apost. ¶ Cum uero ex cholerico humore faciei, color ad croceum declinat, & insania comitatur & saltus & caloris tactus est acutus & pungens.

Si mixta est melancol. ¶ Si uero sit aliquid melancoliæ secum mixtæ fiunt ineptiæ ac garrulitatis copia timorq; & fletus.

Si mixtum est phleg. ¶ Et si adem notabilis phlegmatis admixtio fit obstupefactio non continua. In istis tamen omnibus pulsus est debilis paruus & durus & uarietas multa anhelitus, & spiritus quandoq; angustia sequitur, & subuersio sto-

machi. Et tument ad sensum panniculi, & exeunt per fixuram cranei colorati colorare materiæ & efficiuntur immobiles.

¶ Apostemata uero frigida capiti euenientia sunt à prædominio à phlegmate: sicut calida sunt à prædominio à sanguine & à cholera. & lethargia uocatur à nomine accidentis eam sequentis: cuius signa sunt febris modica debilis & non acuta stupefactio & sopor. & non respondet nisi uix & raro si interrogetur. Est etiã illis ossitatio multa & mentis confusio: & ora eorum aperta sunt tanq̃ claudere illa sint obliti: aliquibus est uentris solutio phlegmatica. Et interdum constipatio uentris, & urina eorum turbida est ut asinorum. Tremor extremitatum & sudor & facies liuida & tumida magnus pulsus & fluctuosus, ut peripneumonicorum. Et anhelithus tardus & uarius. Inquit idem Haly. ubi supra quòd obstupefactio ipsa accidit ex mala complexione frigida & humida cerebro accidenti aut ex phlegmatica materia acutæ febris causa uel percussionis quæ lacertis facta est temporum: aut oppressionis quæ cerebro accidit aut à fractura ossium capitis aut laminum quæ sub facto osse ponuntur cum istud curare uult medicus.

Signa apost. frigi.

Causæ obstupefactionis

¶ Peruigilatio autem ex mala fit complexione sicca quæ cerebro accidit. aut ex materia melancolica: aut cholerica.

Causæ peruigilationis

¶ Sed per obstupefactionẽ hic author intelligit lethargiã à prædominio.

Obstupefactio est lethargia.

¶ Per peruigilationem uero intelligit phrenesim.

Præuigilatio amphrenesis.

¶ Et ita inquit quòd interdum, componũtur calidi humores cum frigidis & humidi cum siccis: & sic signa sunt composita.

¶ Inquit cum uero quæ peruigilationem faciunt causæ cum obstupefactionem facientibus componuntur passio inde oritur quæ, cuma uocata est, scilicet obstupefactio peruigil. & si phlegma amplius sit, obstupefactio maior est, si uero siccitas superat, peruigilatio erit maior. cuius peruigilationis sic compositæ signum est quòd nec dormit nec uigilat: oculi sunt aperti & mens confusa & omnino sunt composita ex signis phrenesis & lethargiæ.

Quid sit cuma

Signa compositi apost.

¶ Auic. secutus est Haly. de tali distinctione apostematũ: nã prima tertij

tractatu secundo cap. quarto. inquit apostema à quo uenit soda quando q; est in uelaminibus cerebri & quando q; est calidum & uocatur Sirsen.

Sirsen.

¶ Et quando q; est frigidum & nominatur lethargia scilicet obliuio.

Lethargia.

¶ Et quando q; est compositum & uocatur dispositio habentis dormitionem uigilatiuam. Et quando q; est durum. Et quando q; fit in ipso cerebro.

¶ Quod autem cerebrum posset apostemari probat princeps contra Serapionem in multis locis & maxime tractatu tertio prima tertij cap. de Carabito siue Sirsen, siue phernesis quòd idem est quamuis secundum aliquos phernesis plus importet accidentia q̃ morbum.

¶ Si autem Carabitus & Sirsen sit apostema panniculorum cerebri, uel substantiæ eius, uel utriusq;, uel alterius membri uide Auicen. ubi supra: quia hic de istis multa proferre non est mea intentio.

Signa Carabiti secundum Auic.

¶ Signa cuius Carabiti sunt scilicet quòd superfluit alienatio, & quando q; abscinditur alia uice & abhominatio loquele, & pigritia ab ea, & permixto intellectus & plurimum horum circa quartum diem, et in quinto extremorum frigus et agitatio: et spiritus agitatus inordinatus, et magnus et extensio ossium pectoris ad superiora. et tremor et saltus membrorum cum ipso. Et ante nunciat ipsum. Et somnus inquietus quando q;. Et excitantur ab ipso et clamant, et quando q; uigilant et quando q; dormiunt cum phantasys et somnijs corruptis cum uoce diuersa et sunt illic inuerecundia. audacia, et ira. Et abhorrent radios. Et agitantur linguæ eorum. Et quando q; apostemantur. Et multoties abscinduntur eorum uoces et desiderant aquam et bibunt ex ea parum. Et eorum extremitates infrigidantur absq; frigore extrinseco faciente hoc: et urinæ sunt tenues et pulsus duri propter apostema in mẽbro neruoso. Et cũ sua serinitate non euacuatur abundositate quadam: quoniã cerebrum est substantia humida. Et interdum sunt magni et frequentes et diuersi et tremuli et spasmosi. et præcedunt Carabitum obliuio rei propinquæ et tristitia sine causa. Et somnia mala et soda multa. Et grauitas et repletio, & exiccantur oculi. Deinde accidunt lachrymæ unius oculi tantum. Et uenæ oculorum sunt rubeæ, & quando q; inquirunt uilos, & colligunt claus-

sis oculis. Et accidit distilatio urinæ cum cogitatione ipsorum aut sine. & obliuiscuntur dolores si aliqui sint in membris ipsorũ, immo si membra ipsorum dolorose tangantur non sentiunt.

¶ Et si apostema est in anteriori parte capitis corrumpit imaginationẽ, & tunc incipiunt colligere uilos & paleas & similia. Et imaginantur quæ non reperiuntur.

Si apost. est i parte Anter. quid.

¶ Et si sit in medio corrumpit cogitationem.

Si in medio quid.

¶ Et si in posteriori obliuiscuntur ita ut quandoq; petant aliquid quòd si eis præsentetur, non recordantur se quæsiuisse.

Si i posteriori quid.

¶ Si autem apostema sit super omnes partes apparent hæc omnia.

Si per totum quid.

¶ Et si cum eo apostemetur cerebrum rubet facies & oculi & exeunt oculi multum si materia est sanguis. Si uero est cholera ad citrinum tendunt. Et ita res apparent rubræ & citrinæ secundum humorem prædominantem.

Signa cerebri aposte. à sang. Signa à cholera atri uel ru.

¶ Et si sit à cholera adusta est illud quòd perimit. Et signa sunt quòd cõmunitas accidentium eius accidunt cum dæmonio odio & rixa & oculi sunt conturbati.

Sig. à colera adusta.

¶ Nota unum lector quòd communiter doctores ponunt frigiditatem aduenientem panniculo grosso siue sit ex aere siue applicetur actu. Aliquid frigidum causare calidum apostema quamuis possit causare alia accidentia. Et hoc sensit Rasis authoritate Pauli. xv. continentis cap. iii. in fine istis uerbis. Accidit apostema calidum panniculo grosso ex osse pungente & pondere pannorum aut ligatura dolorosa aut à frigore affligente: aut eo quòd non attenuatur regimen, & ex potu uini: & hoc sentiunt multi aly & maxime Auic. Et causa potest patere consideranti.

¶ Superius de Carabito ad mentem Auic. posui signa apostematum calidorum in panniculis & in cerebro: nunc de signis frigidi apostematis ad mentem eiusdem sermonem facio.

¶ Et forte mirabitur aliquis quòd sim ita longus in ponendo signa taliũ apostematum. Hoc tamen facio quia est magna utilitas in istis signis. bene enim cognita ægritudine illa facilius curatur.

¶ Pono tantum signa Haly. & Auic. Aliorum fugiens doctorum commercium. quia quidquid bene dictum est ab istis medicinæ patribus miro ordine & industria dictum est. Et omnes alios excedunt in signis & causis rogans quēcunq; hoc opus nostrum lecturum ut non solum hæc signa a nobis posita uideat. Sed ad prædictos fontes recurrat ubi inueniet sermonem plenum de Carabito & de phlegmone, & de herysipela cerebri. Et quid sit sibare siue dæmonium cerebri. Et quid sit lethargia. & quid sit subeth asahari quod est apostema compositum ex calido & frigido humore: quod apostema ab Haly. supra uocatur cuma: quia hic de essentia talium ægritudinum nihil pono.

Signa apost. frigidi secundum Auic.

¶ Signa igitur apostematis frigidi in capite licet raro contingat tamen possibile est siue à causa antecedente siue à primitiua, à qua primitiua rarius contingit sunt ista. Primo est soda lenis & febris lenta. necessaria enim est febris ab humore putrefacto in cerebro inquit Auicen. & propter hoc separatur à subeth.

¶ Aduerte lector quòd quamuis in apostemate phlegmatico uel alio modo frigido non sit uera putredo tamen hic loci Auice. uidetur uelle quòd apostemata frigida phlegmatica de quibus hic est mentio sint à phlegmate putrefacto prout ipse testatur prima tertij cap. de signis lethargiæ inquit quòd est febris lenta. & quòd necessaria est febris in omni apostemate ab humore putrefacto in membro principali, uerum est lenta quoniam eius materia est phlegmatica.

In omni apost. est aliqua putredo.

¶ Vel uult quòd in omni apostemate sit aliqua putredo quæ faciat febrē maxime si apostema sit in membro principali & hoc sensit ille bonus Dinus tertia quarti. inquit enim quòd in omni apostemate etiam frigido est quædam caliditas præter naturalis propter conculcationem materiæ. Super illo Auicen. uerbo. Et omne apostema aut est calidum aut non calidum recurrant igitur ad Dinum non tamen ubi supra: sed in principio tertie quarti, ubi distinguit quid sit apostema & quomodo fiat apostema. Et quid prius fiat in apostemate an tumor an solutio continui an mala cōplexio ubi dicit quòd propter conculcationem ultimo loco fit mala com-

plexio quæ iudicio cuiuſcunq; bene ruminantis erit calida per oppilatio-nem ibi factam quantuncunq; ſit materia frigida.

¶ Credo ego quamuis ſit aliqua mala complexio calida modo prædicto in apoſtemate quòd etiam ſit mala complexio frigida à frigiditate humoris eam facientis. & ſic erunt duæ malæ complexionis in apoſtemate frigido: ſed quia frigida eſt maior in cura illi magis eſt uacandum. tamen cura apoſtematis inquantum eſt apoſtema non eſt uacare malæ complexioni maxime in materia frigida ſicut in calida puta in heryſipela in qua materia ſubtilis eſt & pauca cui magis uacamus qualitati q̃ quantitati ſed cura in frigida: quia materia eſt groſſa cura eſt extractio materiæ apoſtematis. Et hoc fit cum reſoluentibus puris & mixtis ſecundũ tempora apoſtematis. Et ita quantuncunq; ſit pauca caliditas in membro tali quale eſt cerebrum neceſſario adeſt febris. Et iſta eſt mens Auic. ſecundum aliquos in loco prædicto de Carabito cum dicit quòd neceſſaria eſt febris.

Cura apoſtematis eſt extractio materiæ.

¶ Cui opinioni adhærent aliqui cum teſtimonio Hippo. dum inquit ſi in uentrem ſanguis effuderit neceſſe eſt putrefieri & in ſaniem conuerti qui uolunt Hippo. non ſolum intellexiſſe de ſanguine: ſed de quocunq; alio humore non regulato à natura qui ſtatim incipit habere aliquem modum putredinis cum eſt extra uenas. Et maxime ubi eſt concluſus non habens euentationem & quòd ibi non ſit ordine naturæ ſicut in apoſtemate. quia etiam haberet modum putredinis phlegma in ſtomacho & in inteſtinis & in iuncturis ſi eſſet concluſum, euentatione priuatum.

¶ Et ſi bene in iſtis membris eſſet putredo talis ut prædictum eſt non eſt tanta quòd poſſit cauſare febrem: quia ut efficiatur febris oportet quòd ſit notabilis putredo, uel in loco propinquo cordi uel quòd ſit in loco in quo defacili poſſit ponere cor in calefacto eſſe: quia aliter non contingit febris nec continua nec alterius modi. Et ita credo quòd in nodis & ſcrofulis ſit aliqua putredo modo prædicto acquiſita.

¶ Et non eſt inconueniens quod in uno apoſtemate ſint duæ malæ complexiones puta in apoſtemate frigido: quia eo modo quo acetum dicitur calidum & frigidum: eodem poſſunt dici humores in apoſtematibus & in

In apoſtemate eſt duplex Mal. compl.

ueritate sic est mens Dini loco præallegato.

¶ Verum est quòd in apostemate ualde duro ad naturam lapidis conuerso erit longe minor putredo. Sed talia apostemata non aduenium pannis culis neq; cerebro quis Auic. prima terty tractatu secundo capi. quarto dicat quòd apostema capitis quando q; est durum: quia noluit negare possibilitatem & forte quòd in illo esset aliqua febris: sed cap. de lethargia inquit quod plurimum eius fit in meatibus: idest in anfractibus cerebri absq; quòd fiat in uelaminibus cerebri propter rationes superius adductas. Et quòd raro fit in substantia cerebri: quia est uiscosa densa: & humor phlegmaticus non potest penetrare corpus densum. tamen inquit quòd est possibile ut ueniat in uelaminibus & in substantia cerebri. Et ego credo quòd talia apostemata frigida non fiant nisi per modum paulatine congestionis: quia per modum defluxus non possunt fieri: si tamen fiant hoc erit per choleram secum mixtam subtiliantem phlegma & illud facientem penetrare. Aliter non contingit hoc apostema per defluxũ. Credo tamẽ quòd etiã in cerebro siue per fluxũ siue per congestionẽ, si fiat apostema quòd possit essẽ tale q̃ non sit febris cõsiderata qualitate & quãtitate materiæ. Et ẽt loco & tẽpore apostematis: & cõsiderato modo terminationis eius.

¶ Hæc dixi gratia iuuenum.

¶ Et hæc quidem febris. s. in prædicto apostemate quando q; non sentitur & fit cum eo subeth. grauis & habet grauedinem in aperiendo & claudendo oculos: & fit cum eo obliuio & spiritus rarus, tardus: & debilis & ossitatio multa: & singultus propter communitatem stomachi ad cerebrum & albedo in lingua & tarditas in loquela & in motu palpebrarum. Et permixtio rationis & egestio humida. Et urina sicut asinorum, & tremor & sudor extremitatum & pulsus magnus rarus tardus tremulus ac undosus sicut in peripneumonia minores tamen in istis prędictis sunt pulsus in apostemate cerebri q̃ in peripneumonia: quoniam nocumentum cordis in ea factum est minus & est cadens in medio.

Signa melancolici apost.

¶ Et si melancolicum est apostema dolor fit fortior & rixa & alienatio & oculi aperti fixi in uno loco intuentes & cum lethargia est in substãtia

cerebri

cerebri subeth est fortior & difficultas motuum maior & oculi ad exitum tenduut. & si est in uelaminibus dolor est fortior. & motus sunt leuiores: & adest retentio urinæ propter obliuionem & debilitatem lacerti urinalis. Si.in cerebro Si. in uelaminibus.

¶ Si uero sit apostema calidum & frigidum mixtum signa sunt composita ex phreneticorum & lethargicorum signis, ut supra diximus de mente Haly. Hæc signa omnia superius posita ab Auic. sunt signa posita ab Haly. quem Auic. secutus est. pauca dicuntur ab Auic. quæ prius non sint dicta ab Haly. qui fuit primus qui posuit ordinem medicinæ cuius anima sit benedicta de tanto ingenio & labore. Signa compositi apost.

¶ Signa superius posita de apostematibus non tantum sunt ab apostemate facto ex percussione & læsione capitis: sed sunt quocunq; modo fiat apostema an per communitatem, an per essentiam, an per causam primitiuam, uel per quamcunq; aliam causam. Et de signis apostematum capitis finem impono.

¶ Sed quia accidunt in capite alia apostemata, scilicet quòd interdũ apostematur caput extra craneum, scilicet ipsa cutis tegens caput quæ pro maiori parte est pauci sensus quia in capite non sunt nerui maxime in exteriori parte: neq; masculi nisi in temporibus qui mouent mandibulas. & in fronte qui faciunt ad motum superciliorum. Et interdum apostematur etiam pericraneum.

¶ De istis ergo apostematibus aliquid dicamus ut de apostematibus capitis nihil intactum relinquatur.

¶ Est communis opinio quòd extra craneum in pericraneo accidit apostema calidum & frigidum & mixtum sicut in alijs membris. Et quia panniculus exterior non est tanti momenti sicut interiores nec quo ad accidentia sequentia si bene considerantur causæ accidentium nec quo ad curam teste G. quarto ingenij cap. vij. inquit: nam fortiora conueniunt uulneribus interioribus q̃ ad eis quæ exterius sunt ne medicina illorum anteq̃ ad ea deueniant deficiat unde debemus eam adeo confortare quòd in uia non possit deficere.

Fortior medicina conuenit intera caput q̃ extra.

¶ Et ut patet prima tertij ab Auic. tractatu tertio cap. xi. istis uerbis. & cura ipsum medicamine leuiore ex cura Sirsen ita tamen quòd sis secutus in administratione fortioris in ipso quæ uerba declarans fidelis expositor Iacobus de partibus quo ad curam dicit leuiora localia conferre parti extrinsecæ magis q̃ intrinsecæ: quia de facili medicinæ uirtus uadit ad extrinsecum: quia pars intrinseca plus distat à medicina. & quia craneũ est durum & solidum & grossum & intermediat, ei igitur nõ potest penetrare uirtus nisi sit fortis, ideo uirtus debilis plus conuenit parti extrinsecæ q̃ intrinsecæ: & maior est labor. i. maius periculum in uirtute forti quam debili. igitur apostema extrinsecum non est tanti momenti.

¶ Adducit Iacobus ubi supra aliam rationẽ dum dicit quòd pars extrinseca fortiores. sustinet medicinas quia minus periculum est administrare eas exterius q̃ interius: quia fortis medicina forte potest inferre nocumentum quòd si inferatur melius est. i. minus malum quòd inferatur exterius q̃ interius. Consequenter ergo dicamus minoris esse nocumenti apostemata extrinseca q̃ intrinseca non solũ per rationes prædictas sed ratione nobilitas membri & loci.

Quæ de causa non ponãtur signa apost. pericranei.

¶ De apostematibus ergo panniculi extrinseci claudam sermonem: quia rarissime fit. & si fit credo quòd fiat à forti causa quæ etiam causa ut in pluribus causabit apostema aliorum panniculorum per fortem colligantiam. & lumen maius offuscat minus. & ita medicus nõ uocabit signis apostematum pericranei nec eius curæ sed maiori ægritudini.

¶ Si tamen contingat quòd possibile est signa de facili habentur habita causa si fiat à causa primitiua & ita cura.

¶ Si uero fiat tale apostema à causa non primitiua recuras pro signis & cura. Ad principem nostrum Auic. ubi supra.

¶ Sed quia non tantũ fiunt apostemata in pericraneo: sed interdum etiã aggregatur & aquositas & uentositas in capitibus. Et maxime puerorum etiam ibi habebis integram cognitionem & essentiæ & causarum & signorum & curæ. Et hæc sufficiant de apostematibus panniculorum & cerebri maxime quo ad signa de prolixitate ueniam implorando.

¶ Signa materiæ supra panniculos.

Signa materiæ supra panniculos.

SIgna uero materiam defluxam supra panniculos uel ibi genitam demonstrantia sunt hæc, scilicet quòd adest febris intensa & tremor & destructio rationis. & alia prænarrata accidentia in læsione panniculorum & cerebri sicut inquit Auic. cap. de fractura cranei in principio istis uerbis.

¶ Et accidunt ante saniositatem aut post ipsam ægritudines malæ ex febribus & tremore & destructione rationis & alijs. Alia litera dicit. Et aliæ suple ægritudines quæ accidunt apostematibus capitis quia ante saniositatem in apostemate panniculorum & cerebri sunt prænarrata accidentia.

¶ Quia dato quòd apostema in capite nõ ueniat ad saniẽ sunt & febres & tremores & alia prænarrata accidentia, & ita à sanie cõtenta sub craneo põt fieri paralysis & spasmus & apoplexia & aliæ ægritudines à nobis dictæ superius: sicut etiam ait princeps loco præallegato istis uerbis.

¶ Et cum uerificatur necessitas extendendi, idest fricandi os, & extrahendi ipsum tunc festinetur & non expectetur complementum generationis saniei scilicet in fractura uel sub osse quoniam pus est causa malorum accidentium.

¶ Verum est quòd apoplexia non euenit nisi ex oppilatione coarctoria à materia defluente ad uentres cerebri. & hoc potest fieri si panniculi sint fracti. uel quòd alio modo sanies sit in cerebro puta quòd in pia matre sit rupta uena quæ causet saniem apoplexiam causantem.

¶ Et ita etiam causabit diuersa accidentia secundum loca ad quæ transmittetur hæc sanies. Et secundum quantitatem & etiam qualitatem saniei efficientur maiora & minora accidentia. Et secundum quòd talis sanies habet exitum liberum: quia stante etiam tali materia pauca quæ non expurgetur faciet mala accidentia.

Exemplum de pauca sanie.

¶ Vt ego uidi Bonon. in Reuerendo D. Priamo de Peppulis qui habebat fixuram capillarem in craneo per quam descenderat aliqua materia.

Et adhibita cura cum instrumentis ut uideretur an rimula penetraret interiorem superficiem cranei inuentum est. quòd sic cum raspatorijs. & per fixuram dilatatam exiuit modica & ferè nulla saniei quantitas & cessauit febris statim acutissima. & inquietudines. & uigiliæ. & omnia mala accidentia quæ aderant. & hoc uidi etiam in quam pluribus alijs.

¶ Dubium an accidentia sint ab apostemate an à solutione continui an à sanie cum sint communia.

An sit accidẽtia per saniem uel per aposte. uel per solut. cont.

SEd dubitatur in iudicando an accidentia talia sunt per solutionem continui in panniculis & cerebro, an per apostema, an per saniem contentam sub craneo cum prædicta signa sint communia omnibus prædictis dispositionibus.

¶ Vt ergo remoueantur tales dubitationes medicus sit prudens & diligens in iudicando: quia talia accidentia ueniunt subito, scilicet per læsionem panniculorum & cerebri. Et dicimus illa necessario esse ex illa causa & etiam si ueniant parum post.

¶ Et ultra hoc medicus oculata fide uidet notabilem fracturam uel incisionem uel perforationem. Et si non uidet ad minus considerata causa lædente quæ si fuerit fortis iudicabit illa accidentia sequi per solutionem cõtinui. Et quilibet est certus quòd si talia accidentia ueniunt subito uel parum post quòd ibi non est sanies aggregata. Nec quòd ibi est apostema ergo fiunt per solutionem continui. Et ultra hoc accidentia prædicta ueniunt fortia, & sunt subito in suo statu & sic non contingit in accidentibus apostematum nec saniei contentæ quia in illis talia accidentia habent principium augmentum & sua tempora longiora, scilicet in apostematibus & in sanie sub craneo contenta.

Si. accidentia sunt à soluta conti.

¶ Sed quia accidentia saniei & apostematum maxime calidorum sunt. ut supra diximus similia & etiem conueniunt in hoc quòd non ueniunt nisi ad tempus notabile, erit etiam dubium an sint per apostema an per saniem. Pro quo dubio noto distinctionem accidentium prædictorum, & dico quòd accidentia apostematis sunt maiora q̃ in sanie contenta intra

craneum: quia apostema est maioris nocumenti cerebro & panniculis q̃ sanies. ut patet cuicunq; ingenioso. Et ultra hoc dico quòd medicus cognoscit esse saniem: quia aliqua sanies subtilis resudat à fixura cranei si qua sit. Et etiã craneum est male coloratum, ut latius dicemus infra de signis seperationis panniculi ab osse. Et maxime si sanies sit multa & male conditionis de qua sanie hic intendimus & maxime si fixura est angusta uel forte quòd nulla sit fixura.

A cadẽtia apostematum maiora sunt.

¶ Quia interdum est etiam multa sanies supra panniculum laudabilis tamen. Et non facit mala accidentia sicut contingit in uulneribus & fracturis in quibus magna ossis pars est amota. Et panniculus est detectus à quo sanies libere exit: & bene mundificatur & expurgatur: sed sanies faciens prædicta accidentia est mali odoris. & etiam sanies labiorum est mali modi & maior inquanto q̃ in apostemate: quia in apostemate labia sunt sicca & mali coloris. Et caput est calidius in apostemate quàm in sanie.

¶ Si uero sanies esset infra craneum ipso non fracto per uenulam aliquã ruptam in panniculis craneum est male coloratum. Et æger sentit graue dinem in ea parte in qua est sanies. Et interdum sanies exit per palatum per nares & per aures.

Signa saniei infra craneũ.

¶ Et ultra alia signa medicus considerare debet causas apostematis & causas saniei. ut si corpus fuerit pletoricum & qualiter regulatum, & cum quibus medicatum.

¶ Et inter omnia si medicus dubitat de sanie debet aperire fixuram angustam uel si non est fixura debet craneum perforare & certificari si sit sanies: quia in omni ferè ægritudine sunt signa dubia & cum diligenti solertia & cautela, & sine mora debent medici talia facere.

¶ Tamen dico quòd in istis signis distinguendis est magna difficultas & non cognoscuntur nisi à ualde experto qui coniectura aliqua hoc cognoscat. quia hæc signa non possunt integre scribi: sed solum à bono ingenio diligenter ruminante diuidente & componente. & longo tempore in similibus experto possunt comprehendi & iudicari: quia multa sunt in medico quæ non possunt scribi ut continue uidemur.

¶ Signa ossis grauantis uel pungentis pannicu los & cerebrum.

Signa ossis grauantis & pungentis.

SEquuntur signa ossis grauantis seu pungentis cerebrum & pannicu los quæ sumuntur à multis: & primo à natura rei lædentis: quia si causa fuerit sagitta uel stilus uel aliquid tale perforans ut in pluribus aliqua ossis frustula parum infra craneum descendunt non seperata à craneo uel forte seperata.

¶ Et sunt eo modo quo contingit in aliqua lamina ferrea uel ænea ab aliquo stilo pluribus uel uno foramine perforata quæ in parte intrinseca efficitur pungens & aspera taliter quòd pungit quicquid ei obuiat sicut est instrumentum commune ad triturandum panem & caseum ad usum quotidianum. Quod instrumentum à recentioribus latinis scabula appellatur à scabo scabis descendens, uel Græce dicitur. τυροξυστης idest Tyrocnistis, idest Casitera quòd lingua Bononiensis dicitur gratusa.

¶ Et ultra considerationem huius causæ patiens sentit dolorem pungentem continuum fixum in loco læso & statim.

¶ Vel quòd causa fuit contundens rumpens craneum & intra ipsum plicans uel rumpens taliter quòd medicus oculata fide iudicat craneum grauare & pungere panniculos cum relatione patientis si loquitur. si autem non loquitur tangit locum manu omni hora.

¶ Et interdum est comprimens taliter panniculos & cerebrum quòd inde accidit apoplexia. cuius testimonium est Rasis authoritatem cuius recitat Nicolus Florentinus.

Accidit apoplexia à compressione ossis.

¶ Inquit retulit mihi quidam qui uidit quendam in quo panniculus grossus erat læsus: & quotiens oppressio fiebat ei inferrebat apoplexiam. Et dimissa illa oppressione reuertebatur ad dispositionem naturalem & subdit quòd tunc tempus erat æstiuum quòd si hyems esset statim infrigidaretur & inferret apoplexiam cui nulla esset cura.

¶ Nota lector quòd ex frigiditate fit apoplexia quo modo fiat credo per uiam compressionis uel forte per mortificationem. & extinctionem spiri

tuum animalium & ita fit mors.

¶ Quod etiam compressio non tantum ossis sed etiam alterius rei comprimentis possit causare apoplexiam inquit Rabi Moses. xxv. affor. lx. hæc uerba authoritate Gal.

¶ Dixit etiam quadam uice per extractionem ossium fractorum capitis necessario supposui illis ossibus saluationis uia instrumentum saluatorium pelliculæ cerebri nominatum. Et si cum instrumentum parum magis ipse impressioni & retentioni cerebri adiunxissem amisisset patiens tunc sensum. & omnem uoluntarium motum. Amittere uero sensum & uoluntarium motum non est nisi apoplexia.

¶ Vides modo quantum debet esse operator diligens in tali opere. Sed interdum contingit etiam quòd ex contusione sic comprimente non accidit apoplexia nec talia sæua accidenti. Non debent cõprimere operãtes panniculos cerebri.

¶ Dicunt tamen quidam quòd osse plicato ad intra absq; ruptura cutis & cranei accidunt somnia mala. s. quòd somniãt hostes super se unde surgunt & clamant dormiẽtes & fugiũt & arma inuadunt ac si uigilarent & hoc faciunt: quia eorũ imaginationes læse sunt per grauamen à craneo.

¶ Tamen Nicolus dicit quòd hoc est si infirmus est puer & si compressio est magna quòd apostematur dura mater & forte cerebrum: & sequũtur accidentia mala.

¶ Tamen ego uidi compressionem magnam & notabilem in alia ætate q̃ in pueritia absq; fractura ossis manifesta: & non erat rupta cutis tamẽ erat concauitas in capite notabilis. & per emplastra sanati sunt. Et non fuere mala accidentia aliqua, & nunc habeo puerum unum in cura cui os est depræssum depræssione magna. Et nullum est malum accidens.

¶ Et quòd accidant somnia mala in compressione interdum. ego sum testis quia istum casum semel ego uidi in quodam Ricio auriga dominarum de nobili familia piorum de Carpo qui à graui claui in capite percussus habuit plicaturam cranei & erat annorum. xxv. Et non tantum in somnijs habebat talia accidentia. s. quòd credebat hostes inuadere eum & clamabat. sed etiam interdum uigilans timebat & clamabat & interdum Exemplum in compressione cranei.

dormiens.interdum etiam in quiete erat sine clamore.

¶ Visis istis signis aperta fuit cutis à patre meo: quia nulla erat in cute fixura sed sola erat contusio cum aliquali tumore.& osse detecto inuentũ est os ruptum & plicatum.Et altera die cum serra subtili facta fuit operatio in craneo secundum quòd exigebat modus curæ: & extracta certa quantitate ossis suppositum fuit instrumentum quòd dicitur eleuatorium. & totum os compræssum quòd erat frustrum maximum fuit eleuatũ ad situm naturalem qui remansit in loco suo.Et sic in media hora rediit ad pristinũ intellectum.& postea restitutus est sanitati adhibita residui cura.

¶ Admiraberis lector quia dixi magnum ossis frustrum esse eleuatum quòd erat depræssum & ad situm naturalem reductum & ibi remansisse. hoc est uerum.& pluries hoc contingit quòd magnum ossis frustrum in fractura cranei uel incisione à re graui non subtiliter incidente plicatur. Et inferius notabiliter descendit quòd indiget eleuatione & eleuatur. Et stat in loco suo ut prius.

Os undequaque separatũ potest stare in loco suo.

¶ Et hoc est in causa quia potest nutriri: quia undequaq; non est seperatum quamuis sit plicatum in una uel in duabus partibus sed alibi adhæret craneo sano.Et ab illo trahit nutrimentum.uel quòd non est seperatum à dura matre à qua trahit nutrimentum: quia craneum nutritur à uenis duræ matris & pericranei.Et semper dura mater in sanitate.i. dum caput non est fractum: uel apostematum est alligata craneo per totum ut latius infra dicemus.& sic ab ea nutritur & consolidatur ut scis.

¶ Et quòd craneum nutriatur à dura matre uidi ego experientia Florentiæ in quodam puero ætatis annorum.xii.uel circa filio cuiusdam tinctoris qui fuit percussus à quodam mulo cum pede.Et craneum erat fractum ad quantitatem hostiæ magnæ & ad intra per grossitiem unius cultelli cõpressum.& unde quaq; seperatum.Et ego cum Magistro Alexandro de ripa physico simul cum quodam Tanfura dictus qui erat Chirurgicus, fui uocatus in cura & uiso osse depresso cum instrumentis aptis uolebamus eleuare totaliter illud.

Craneũ uiuificatur & nutritur à dura pelliculą.

¶ Sed in eleuatione uidimus unam notabilẽ uenam ruptam à qua multa

sanguinis

ſanguinis quantitas exibat in qua cognouimus periculum magnum: & dimiſimus os: quia retinebat ſanguinem cogitando illud deinde ad tempus remouere: & curando uidimus os ſemper eſſe uiuidum. nec aderant mala iudicia.

¶ Et ſic proceſſi poſtea ego ſolus in cura. Et uidi os à lateribus mediãte horosboth conſolidari. & dimiſi os. & ſic perfecte ſanatus eſt. & alios uideram prius & uidi poſterius quos breuitatis cauſa relinquo narrare.

¶ Vidi præterea compreſſiones plures in capitibus puerorum à caſu & etiam factas per inertiam obſtetricum in infantibus & in pueris quos uidi curari à quodã meo ceroto capitali. Inuentoris cuius anima requieſcat: quia non habet ſibi in orbe parem in uulneribus capitis & fracturis cuius deſcriptionem ponam ubi de cura læſionem capitis erit in propoſito. Et tamen in illis pueris non erant ſomnia illa. credo quia non erat compreſſio tanta ſufficiens facere talia accidentia.

¶ Contingit etiam os pungere & grauare panniculum in notabili fractura cranei non tantum à re contundente, uerum etiam à rei incidente: quia arma non ſemper ſubtiliſſime incidunt. Et quia oſſa ut plurimũ ſunt frangibilia & uitrea & fixura notabili facta in craneo ad intra penetrante aliqua fruſta oſſium cadunt ad profundum ſupra panniculum & notabilia ſunt: quia ſunt maiora, ideſt cum maiori fractura in ſecunda tabula ideſt in inferiori: uel ut melius dicã in intrinſeca ſuperficie cranei q̃ in ſuperiori. Et pungunt ſiue grauant panniculos. & medicus in ſimilibus debet ſerrare craneum lateraliter. & fixuram ampliare. & illud os extrahere: quia aliter non curatur talis diſpoſitio.

¶ Et hunc caſum ego habui notabilẽ in quodam Philippo donella de Carpo qui ſteterat per annum cum magno fruſtro oſſis ſub oſſe. Et uulnus erat notabiliter longum. & conſolidatum totum. niſi quòd ad extrema uulneris nunq̃ potuit conſolidari & perfecte claudi. Et ibi erant duo parua orificia à quibus reſudauit ſanies ad minus per ſex menſes & hic fuit curatus à fratre ſuo qui erat ſatis bonus operator: & à patre meo. Exemplum oſſis ſub oſſe.

¶ Sed ſuperueniens ego aperui totum uulnus ſecundum longum & dis

lataui in latum. Et serra amoui partem lateralem cranei. Et inueni frustũ longum & grossum supra pãniculum quòd extraxi. Deinde mundificaui panniculum. & libere sanaui eum. & adhuc uiuit in bono statu.

Non semper sub osse os pungit uel grauat.

¶ Nota etiam quòd sæpe sub osse sunt frusta ossium etiam notabilia & non pungunt neq; grauant pãniculos. Et hinc est quòd non sunt accidentia sæua: sed si medicus est expertus aliquo indicio cognoscit si ossa sunt sub craneo. Et maxime quando uidet curam ultra debitum prolongari. Et quòd uidet saniẽ de sub osse exire & quòd non uidet accidentia sæua tunc iudicat saniem illam esse ex frustulo ossis curam impediente. quia si sanies esset ex alia causa essent accidentia sæua.

¶ Et pluries ego à uulneribus capitis extraxi ossa de subosse in simili casu. Sed si foramen est apertum natura expellit ex se talia ossa tarde tamẽ sed melius fit si ab arte iuuetur.

¶ Per alium modum etiam descendunt frusta ossium sub craneo, scilicet quòd interdum trapanando craneum instrumenta medici non apta ad illud rumpunt craneum & ingrediuntur inter pãniculum & craneum ossis frustula. & sic pungunt uel non pungunt, ut supra dictum est. & ita grauant secundum quantitatem ossis, uel secundum modum per quem obuiãt pãniculo: quia interdum secundum planiciem ossis tangunt pãniculum & sic non pungunt: uel quòd obuiant pãniculo cum à cutie aliqua & sic pungunt: uel grauant: si sint magna: tamen sic trapanando non possunt multũ grauare: quia frustula sunt parua & leuia.

Notandum.

¶ Et istum casum de descensu per trapanationem uidi. Excelse princeps in capite tuo in cura cuius ego eram. & per absentiam instrumentorum facta fuit trapanatio qualis potuit fieri. & tãdem ossis aliqua portio intrauit subosse. tamen cum Dei gratia adiuuante solertia os eductum est. & sanitati restitutus es.

¶ Absentia autem instrumentorum erat ex ignorantia essentiæ ægritudinis: quia ego in tali cura fui uocatus. & sic aliqui alij ad cẽtum quinquaginta milliaria æquo præcipiti non narrata ægritudinis essentia. & ita non habebantur hic loci instrumenta apta ad tale negotium ob quòd euenit

error in trapanando. duce tamen diuino auxilio sanus euasisti.

¶ Ex prænarratis potest patere quanti ponderis & momenti sit os punge gens & grauans: quia uel per se uel aliunde potest inducere sæuissima accidentia & mortem.

¶ Opiniones quod dura mater adhæreat craneo.

NVnc autem de signis separationis duræ matris à craneo dicamus. Et anteq̃ de istis signis agam dico quòd non possum non mirari quòd sunt aliqui auctores & non pauci qui tenet durã matrem semper distare à craneo exceptis commissurarum locis in quibus omnes cõueniunt quòd ibi sit alligata qui sunt in puro errore. & sint qui uelint quia purum fatentur mendacium.

¶ Quod sit uerum apparet authoritate Gal. Authoritatem cuius adducit Rasis. xv. continẽtis cap. iij. circa medium cap. istis uerbis. Aut pars fracturæ perueniet in toto sub eo & fore remouebitur os à pãniculo solido, aut forte non &c. In istis uerbis ponit craneum alligari panniculo duro.

¶ Sed nono de iuuamentis membrorũ capitulo quinto in fine ponit quòd necessario debet alligari craneo.

¶ Dicit enim & quia impossibile est ut coopertorium spissum non sit applicatum cum testa propter remotionem eorum ab inuicem. Et fuit necessarium ut aplicarentur. oriebantur ei ligamenta. Et ista ligamenta sunt coopertoria tenuia quæ oriuntur à coopertorio spisso. Et uia eorum quãdo exeunt à testa est porus testæ capitis. & cum exierint quedlibet eorum expandi super locum ex quo exit: & expanduntur omnes super manifestum testæ & occurrunt & copulãtur ad inuicem donec sit ex eis omnibus coopertorium unum. quòd continet manifestum totius testæ. Et sic ligat coopertorium spissum cum testa.

Testa est proprie os capitis.

Modus cognoscendi an dura mater naturaliter adhæreat ossi.

¶ Hoc idem tenet Haly. & Auic. capitulo de fractura cranei quãuis forte alibi aliter sentiãt. Et inter alios hoc idem tenet Paulus authoritatem

cuius allegat Rasis capitulo præallegato post authoritatem. G. qui est eius dē opinionis. Et multi alij qui bene sentiunt duce experientia. nam hoc pluries ego monstraui in anotomia publica.

¶ Et ita quilibet inueniet si craneum circunquaq; ferret. ut sit in anotomia communi. Deinde incidat totum panniculum & cerebrum totum suauiter ut seperetur pars capitis ab alia parte sine uiolentia, & ita apparebit dura mater alligata per totum æqualiter.

Dura mater adhæret æqualiter ossi per totum.

¶ Et ego plures tentaui uidere an magis adhæreat ipsa dura mater craneo in loco commissurarum q̄ alibi. & oculata fide fateor quòd non. Dicant quid uelint alij credo per porositates ossis undiq; exire ligamenta prædicta per Gal. & pericraneo alligari seu panniculum ipsum facere & ita uterq; eorum de pari reperitur alligatus craneo.

¶ Dico tamen me plures fecisse anotomiam fœtum quatuor uel quinq; mensium in quibus nondum commissuræ sunt propinquæ ut in perfectis: sed dura mater & pericraneum sunt coniunctæ simul coniunctione forti per totum ubi nondum est os. Et ita in dies natura augumentat & indurat os capitis inter pelliculas siue ex materia prima spermatum parentum siue ex alio nutrimento aliunde transmisso & concocto & illi assimulato. Et ita in loco commissurarum apparent panniculi necessario magis alligati & uniti: quia in loco commissurarum inter duram matrem & pericraneum non intermediat substantia cranei.

Nota aliquid de anotomia panniculorum & ossis.

¶ Sed bene credo quòd à principio anteq̄ cognoscatur esse craneum inter panniculos qui complectiue prius sunt craneo ligamenta ipsorum præ narrata sint per totum æqualia. Sed remanent magis annexa & propinqua completo capite in loco commissurarum: per quæ loca secundum aliquos exeunt plures nerui & ligamenta q̄ alibi.

¶ Sed ego ut supra dixi experientia non distinguo sensu: nec etiam scio cogitare rationem illud probantem.

¶ Quæ autem sit causa commissurarum non est præsentis negocij: sed in nostra anotomia de hoc longum proferemus sermonem.

¶ Et credo quòd ob istam causam multi dicant duram matrem per com

missuras alligari panniculo exteriori. & quòd per cõmissuras exeunt nerui & uenæ, & sic, est quia panniculus dura mater est totus nerueus & uenosus sicut sunt alij panniculi: tamen credo ego quòd sit neruosus æqualiter: quia nerui in panniculo non sunt distincti nec inuenio rationem propter quam debeant esse maiores nerui in una parte panniculi q̃ in alia.

¶ Et isto prædicto modo exeunt nerui per commissuras. uerum est quòd uenæ & arteriæ in panniculis sunt maiores in una parte q̃ in alia: quia semper debet esse paratũ nutrimentũ prope membra nutriẽda, & sanguis non potest stare extra uenas quia putresceret. igitur dico per cõmissuras exire neruos & uenas modo prædicto. Tamen per hoc non est quin dura mater & nerui in ea & uenæ contentæ non exeant poros cranei alibi.

¶ Et isti ponunt periculum in operando circa commissuras tamen fateor ego me uidisse uulneratos plures & curasse in commissuris & extraxisse frusta serratilia commissurarum qui euasere. nec uidisse in istis differentiam illam magnam quam ponunt multi qui magni sunt medici calamo & uerbo. Credo ego istos non bene uidisse anotomiam.

An sit periculum circa commissuras operari.

¶ Dico tamen in commissuris magis pãniculos alligari q̃ alibi: quia illuc non intermediat os, & propter hoc non est nisi bonum in operando cauere à commissuris: quæ propter quem finem sint factæ alibi dicetur.

¶ Et quòd prius sint panniculi q̃ ossa testis est Gal. ii. complexionũ cap. i. Inquit existimamus ergo animal iam incipere generari in matrice, ut sciamus qualiter est secundum ultimũ humiditatis & caliditatis, & illud ideo, quoniam constitutio animalis prima non est nisi ex sanguine & spermate. Et hæc quidem duo non sunt nisi calida & humida, quæ deinde incessanter & paulatim desiccantur, donec ex eis procreentur, primum panniculi, & tunicæ & uiscera, & uasa postea generantur postremo ossa & ungues & chartilagines &c.

An prius fiant panniculi an ossa.

¶ Signa separationis duræ matris à Craneo.

CVm autem maximum sit periculum in trapanatione adhærente dura matre craneo per totum: ut dixi & contingit sæpe eam sepa-

rari: qua non separata non debet fieri trapanatio: ut loco suo dicemus. Igitur signa separationis ponamus. Quæ signa aliquo modo conueniunt cũ signis commoti cerebri & cum signis materiæ contentæ sub craneo rupto nel non rupto: tamen aperto distinguntur. Et quia os in fracturis multis reperitur separatum diuersimode. ideo hic intendo ponere signa separationis ossis à panniculo: quando non potest uideri separatio ad sensum. s. quòd os non sit fractum. uel si est fractum. est cum capillari rimula. & quòd sanies sit inter eos clausa: quia tunc debet fieri operatio.

Modus quo separatur dura membrana ab osse.

¶ Sed admirabitur aliquis quomodo sit possibile quòd osse non fracto separetur dura mater à craneo. Dico & tu lector bene nota quòd per contusionem interdum rumpitur in dura matre aliqua uenula inter eam & os contenta à qua fluit sanguis quòd ibi putrefit & necessario putrefiunt ligamenta illa parua duræ matris ossi alligata & sic separatur panniculus. & facit sæua accidentia. & mortem nisi succurratur.

¶ Et etiam à contusione non rumpitur aliqua uena sed rumpuntur ligamenta illa duræ matris à quibus resudat aliquid. Et ita etiam à superioribus per eosdem poros uirus descendit. Et eis nisi succurratur accidunt sæua accidentia & mors ut supra.

Medicina putrefactiua separat membranã duram ab osse.

¶ Contingit etiam quòd aliqua medicina putrefactiua unctuosa adiuuat prædicta. Et hoc ego pluries uidi: sed inter alios modos nota istum. Contingit quòd à re incidente superficialiter remouetur aliqua cranei pars nec multum profunda à qua facilius cadit dura mater: quia eius ligamẽta. s. duræ matris quibus mediantibus per poros cranei alligatur almeccati sunt in profundum magis incisa. Et consequenter relaxationi magis apta. Et ita etiam superficies ossis remota quæ est densior q̃ pars media. Et cõsequenter sanies est magis apta descendere. ob quòd sæpissime in isto casu contingit mori.

¶ Primo quia rari sunt qui sciant hanc artẽ. & ignorant istam causam. Et si scirent nostri temporis reperiuntur multi physici hoc nescientes, qui uolunt chirurgicos operari modo suo: quia eis dominantur.

¶ Et opus quod deberet fieri in isto esset trapanatio & medicus insciens

non uult.uel si uellet:quia etiam aliquando reperiuntur phisici periti qui in istis casibus concordantur cum chirurgico.æger timet tale opus.& affines & astantes.& ita cum benedictione uulgari moriũtur. Et tales casus ego multum timeo:quia apparet quòd ægritudo si leuis. Et est ardua & pessima:pro qua leuitatis apparentia fit impedimentum in opere medici à causis prænarratis.

Vna causa mortis ægrotãtiũ.

¶ Ponamus ergo signa separationis prædictæ.Et dico quòd uel os incipit iam separari:uel iam separatum est.si incipit separari puta quòd hoc sit per relaxationem ligamentorum prædictorum uel per rupturam eorum: tunc os incipiet aliqualiter mutare colorem, quæ mutatio est per gradus diuersos modo multa modo pauca secundum quòd os stetit sine adhærentia panniculi.quia panniculus uiuificat ipsum os mediantibus uenulis & arteriis in ipso pãniculo existentibus à quibus nutritur & uiuificatur.

Signa separationis ossis à pãniculo duro.

¶ Et os sanum.s.illud cui adhæret dura mater est coloris albi mixti rubedini.Et quanto separatio est maior:ita maior ossis quantitas est mutata in colore.

¶ Et oportet quòd delectetur medicus in cognoscendo istos colores:quia quilibet non cognoscit:sed tantum ille qui est expertus & exercitatus in similibus:sicut experti cognoscunt gẽmas bonas à fraudatis & à nõ bonis.

¶ Et ita ille color sanus distat à non sano secundum qualitatem saniei cõtentæ sub ipso osse: & secundum tempus longum breue uel mediocre materiæ contentæ:quia uapor eleuatus à sanie exit aliquo modo per poros cranei & ipsum colorat colore suo.

¶ Quales autem possint esse colores saniei cuilibet notum est. Et ultra colorem cognoscitur etiam os:quia est plus siccum sano.

Os est siccum ubi est separatum.

¶ Verum est quòd est maior siccitas si panniculus sit apostematus uel si os sit separatum à dura matre habente sanie liberum exitum:quia aliquo modo uapores à sanie retenta humectant os.

¶ Tamen in quocunq; casu est siccius q̃ si non sit separatus panniculus ab eo.Et ultra colorem & siccitatẽ quando incipit ista separatio incipiunt aliqua sæua accidentia.ut febris. alienatio. stupor. ungiliæ. & accidentia

prædicta in læsione panniculorum: quia incipit supra panniculum aggregari materia quæ ipsum incipit corrumpere. Adsunt etiam dolores maiores q̃ si non sit separatus panniculus. Et ita paulatine augentur talia accidentia sicut paulatim aggregantur materiæ inter ipsos.

¶ Ex prædictis potes colligere quæ sint signa cum os incipit separari, & quæ sint signa cum iam separatum est. quæ accidentia sequuntur etiã quãtitatem & qualitatem materiæ. Et etiam ueniunt secundum naturam loci saniei. quia si est propinqua alicui ex neruis cerebri inducit spasmum uel paralysim illorum membrorum ad quæ uadunt illi nerui.

¶ Non ignoret ergo medicus membrorum colligantiam ut sciat referre accidentium causas. Et interdum sanies potest esse inter duram matrẽ & sororem eius: ex aliqua uena rupta in dura matre uersus piam uel in pia matre. Et tunc sunt maiora accidentia propter nobilitatem loci. Et forte os non erit separatum à panniculo & forte sic.

Casus difficillimus in cognitione & cura.

¶ Et hic casus est de his à quibus non euadunt aliqui nisi nutu dei: nisi pãniculus durus esset apertus siue ruptus. & quòd facta apertura in craneo à natura forti & à medico diligenter operante sanies exsiccaretur.

¶ Et ultra prædicta accidentia accidit etiam apostema calidum in panniculis. Dicit Rasis. xv. continentis cap. iij. in fine authoritate Pauli inquit. dico debet dari signum fracture à qua remouetur pãniculus grossus. in primo debes scire dispositionem syphach. Vtrum sit adhærens ossi an non uidelicet si fuerit adhærens ossi non fiet in uulnere apostema calidum. Et licet accidat modicum erit & erugo manabit de ea modica & putredo erit digesta: sed si fuerit remotum uehementiores erunt dolores & febres mutabitur color ossis & corrumpetur & manabit putredo tenuis. Quibus uisis celeriter fiat incisio ossis fracti: quoniam nisi hoc sequatur peiores conditiones erunt primis ad modum spasmi: & uomitus choleræ cruginosæ: alteratio mentis. syncopis & febris continua. Quod si hæc accidunt noli curare eum.

Signa separationis à Paulo ab Auic. & ab haly.

¶ Prædictam sententiam ponit Auic. cap. de fractura cranei de uerbo ad uerbum. quam credo eum accepisse à Paulo istis uerbis. Et caue ne multum

tum procedas in fricatione. imo ubi iam securus fueris & cognoueris dispositionem uelaminis an sit seruans situm suum ex osse. tunc nocumentum est minus & res magis apparens. & est euentus apostematis minor & saluior. Et apparitio puris maturi uelocior & magis completa. Aut iam separauit ipsum percussio ab osse. Et illud est ab eo in quo est timor plus. & dolores & febres & quæ sequuntur ea plus & susceptio ab osse alterationis coloris uelocior. Et cursus puris uirulēti in eo plus. Et quòd accidit ex doloribus & febribus & tertano & syncopi & destructione rationis: propter dimissionem curationis in eo plus.

Signa separationis à Paulo ab Auic. et ab Haly.

¶ Prædicta etiā signa recitat Haly. nono practice cap. de fractura cranei: quibus signis in casibus prædictis ego addo rigores quos nunq̄ uidi sine separatione prædicta siue sit fractura cranei manifesta siue occulta. Et hoc longo tempore obseruaui. obseruent ergo prædicta signa operantes. ut sciant tempus aperiendi craneum ut suo loco dicemus.

Semper est rigor in separatione ossis.

¶ Signa prognostica in læsionibus capitis.

NVnc uero ad signa prognostica siue ad iudicia transeamus in quibus laudabilis medicinæ finis existit: cum actor futura in singulis perpendit quamuis omnes minime curare possit. Et hæc est sententia diui Hippo. primo prognosticorum.

¶ Vtilitatem cuius prognostici. G. monstra cap. primo. primi prognosticorum. inquit quòd tria sunt iuuamenta in prognostico, quorum unum est quòd medicus quando utitur prognosticatione recipiunt infirmi ab eo quòd eis præcipit.

Vtilitas in prognosticando.

¶ Aliud est. quia quando prius cognoscit, quòd accidit infirmis in futuro antecedit ad illud tempore longo, & præparat se ad opponendum ei.

¶ Tertium est ne existimetur de eo quòd ipse sit causa mortis eius qui moritur ex infirmis.

¶ Eandem sententiam ponit in libr. de constitutione artis medicatiuæ cap. xvi. inquit prognosticatio enim inculpabilem ostendit de morte me-

dicum, & obedientem exhibet laborantem, & ante multum præparat cum ad tempus auxiliorum.

¶ Inquit etiam primo prognosticorum cap. iiij. quòd medico possibile est omnino, ut antecedat & resistat omnibus accidentibus, quæ accidunt sicut gubernatori nauis sapienti: qui timet insultum commotionis maris super se.

¶ Igitur rogo summum Deum ut me dirigat ad uere prognosticādum: quia nil solidius, durius, aridius, & difficilius est in medicina q̄ iudicium rectum exponere. Vnde magnus ille cous cætera posiponens dixit. iudicium difficile.

¶ Et primo dico quòd medici sint cauti in prognosticando de læsione capitis: quia etiam leuis læsio non caret suspitione primo quia læsio est in nobilissimo membro. & de similibus uidimus multos periclitari.

¶ Nam pluries accidunt leues læsiones corpori cacochimo & tali non adhibetur diligentia uel ex se uel aliunde ex quo sequitur malus finis: quia interdum non uocant medicum peritum: sed quilibet eis est sufficiens: uel si uocant non credunt de periculo prognosticato. Arbitrantur multi medicum hoc agere honoris uel pecuniarum gratia. Et in obedientes fiunt non solum chirurgico instrumento: sed etiam dietæ & potioni & alio debito regimini. Et ex hoc ignarū uulgus detrahit medico. quamuis malus sequatur finis remota omni medici culpa.

Interdum non præstatur fides medico.

¶ Non caret etiam suspitione capitis læsio propter operatores huius temporis: quia rari sunt boni chirurgici & etiam physici. O dy boni quāti & quales reperiuntur medici. Certe in hac sola arte euenit: ut cuicunq; se medicum profitenti credatur: cum sit periculum in nullo mendacio maius. Reperiuntur multi qui magno boatu disputant, & morientibus ægris Hippocraticos nodos Tulliano stamine permiscentes sinistro q̄uis euentu superbiunt nec rerum effectibus: sed inani uerborum elegantia gloriantur. Horum commercia qui non consilio sed eloquio pollentes uelut insidiatores uitæ & uenefici uitari debent.

Medici nostri temporis quales sint.

¶ Hodiernis temporibus medici dedignantur chirurgici appellari: sed

ut pecunias extorqueant fatentur se hanc artem scire. Sed pusillanimes se prædicant in operando. & lucri participes secum ducunt chirurgugulos. & ita cecus cecum ducit & ambo in foueam cadunt. salua tamen ipsorum pace, isti non sunt medici quia ueri medici calent triplici instrumento. & ut habetur à Guidone de Cauliaco usq; ad tempus Auic. omnes medici fuerunt chirurgici & phisici sed ego credo quòd multi essent de prædictis medicis qui operarentur si scirent modum operandi. sed potissima causa ob quam non operantur est: quia nesciunt operari quia non est peritus chirurgicus qui à pueritia non uacauit huic arti.

¶ Inquit Diodorus siculus quòd caldei excedunt alios in scientijs: quia pueri à patribus progeniem secuti adiscunt philosophiam omni aliarum rerum cura post habita: ita tum quia à teneris annis in ea doctrina erudiuntur tum quia diutius in ea perseuerant doctissimi euadunt.

¶ Ita dico de arte chirurgica in qua cadit illa agilitas manuum suendo. ligando: secando: urendo: & alias chirurgicas operationes faciendo.

¶ Sed quia rari reperiuntur tales maximæ literis imbuti: ideo de eis nunc temporis habetur penuria.

¶ Et propter hoc dicebat Hip. quòd nomen cum nomine erat multum & cum opere paucum in opere manus.

¶ Verum ut par est maior est adhibenda fides phisicis præsentibus q̃ chirurgicis quæ est turba rudis & indigesta quæ unde se uertat nescit.

Maior est danda fides phisicis q̃ chirurgicis præsentibus.

¶ Parcant igitur mihi qui de stirpe Hippo. sunt medici: de dictis si uni uel pluribus dico non omnibus: sed eorum nomina ex prædictis ad sydera pono.

¶ Signa prognostica sequendo dico ex prænarratis quòd omnis læsio in capite est uerenda tamen regulariter operãdo dico quòd non. Et dico quòd uulnera & contusiones non penetrantes craneũ & etiam penetrantes absq; læsione tamen panniculorũ & cerebri non sunt mortales. adhibita diligenti cura.

¶ Et cum dico mortale hic & alibi intelligo mortale ut plurimum.

¶ Sed si sint cũ læsione prædictorũ dico quòd tales læsiones sunt mor-

tales ut plurimum.non quòd non sanentur aliqui ex eis. cuius dicti testis est Gal.vi.Aphorism.aphor.illo.

¶ Vescicā incisam cor cerebrū renes epar & intestina gracilia mortalc.

Exemp'um.G. de cerebro lęso

¶ Qui inquit se uidisse quendam in prouincia samari in ciuitate nubie qui notabilem habebat læsionem in cerebro. & octauo de utilitate particularum cap.x.recitat de uno in quo unus uenter cerebri erat perforatus & sanati sunt.

¶ Et tamē Iac.de partibus exponens capitulum de plaga capitis prima. tertij authoritate zohar.xix. Theisir.cap.i.inquit hæc uerba.

G.dixit.V. in cerebro nō posse sanari.

¶ Et q̄ nobile est dictum Gal.cum tractauit de fractura panniculi cerebri.nam notum est apud omnes.& semper ubiq; quòd impossibile est uiuere illum cuius panniculus cerebri fractus est.Et uidens Gal. quendam cuius panniculus fractus fuit & ex inde liberatus est. Dixit ipsum adeo liberari summa potentia atq; sapientia.

¶ Hoc dictum est ualde angustum forte quòd Gal. quando dixit prædicta nondum uiderat maiora & credo sic esse:quia alibi aliter sentit ut patuit supra.

¶ Dicamus tamen dictum suum per zohar.hic adductum habere ueritatem ut plurimum & magis in pia matre quam in dura.

¶ Prædictam.G.primā opinionē tenet.Auic.quarta quarti. Dū inquit.

¶ Membra in quibus cum cadit uulnus & magnificatur eius nocumentum & interficit ut plurimum.& fortasse non interficit nisi raro sunt uescica cerebrum renes epar.& intestina gracilia quamuis saluetur super ea cum uulnus est leue.

¶ Et idē tenet quarta quarti ca.de disruptione & extractione sagittarū.

¶ Inquit quòd si sagitta fixa fuerit in aliquo membro principali sicut cerebro:aut corde,aut pulmone:aut uentre:aut intestinis,aut epate:aut in matrice:aut in uescica:& apparent signa mortis:tunc oportet ut abstineamus ab attractione sagittæ: quoniam fiet inde inquietudo plurima ne superueniat nobis locus sermonis stolidorū cum hoc quòd parū conferimus infirmo. Si autem non apparuerint signa mala ex quibus ti;

meamus de accidẽtibus tunc permittemus sermonem in perditione quæ accidit ut plurimum deinde incipiemus in curatione. Multotiens enim de eis in quibus accidit illud saluatur aliquis absq; spe mirabiliter. Et multotiens egreditur pars epatis & aliquid de siphach quod super uentre & zirbo. & matrix tota & non accidit inde mors.

Saluantur aliqui ubi non est spes.

¶ Verum si nos dimiserimus iterum in his membris principalibus, accidet mors secundum omnem dispositionem: & proportionabimur ad paucitatem misericordiæ. Si autem abstulerimus sagittam fortasse saluabitur infirmus. quando q;.

¶ Tenet etiam idem Auic. quòd non solum cerebrum patiatur solutionem continui. Sed etiam quòd accidat cerebro apostema & quòd suppuretur & quòd non moriatur licet impliciter hoc dicat: tamen si ruminentur eius dicta ponit possibilitatem salutis ut per eum patet tertia quarti capitulo de exituris capitis inquit. Et laudabilior eruptio eius est ad uentriculum proprium membro cui est uia currens ad exteriora: sicut exitura stomachi. ut enim rumpatur ad interiora eius & ipsius concauitatem melius est q̃ ut rumpatur ad exteriora eius & ad uentriculum continentem mirach sicut eruptio eius quæ ad duos in cerebro uentriculos anteriores laudabilior est quoniam ambobus sunt meatus sicut nasus & nares, sed Auic. hoc totum accepit a G. in libro de mala complexione diuersa capitulo quarto dum G. inquit. Quod si fuerit illud in partibus stomachi laudabilior erit collectio quæ erit in amplitudine q̃ quæ in exterioribus eius existit & ad q̃ secundum plurimum fit sanici eruptio. Collectio uero quæ fit sub siphac est mala & cum fuerit illud in partibus cerebri tunc collectio in duobus uentriculis eius anterioribus erit laudabilis sed collectio sub duabus matribus & in uentriculo qui est in posteriori cerebri facta est illaudabilis & praua hoc idem repetitur à Rasi. xiij. continentis cap. iiij. istis uerbis quòd si exitura fuerit intenimentis cerebri congregatio eius & putrefactio laudabiliores erunt si fuerint ad concauitatem prædictam q̃ ad utranq; dico quoniam manabit ad narem & palatum & si congregatio eius fuerit sub matre pia & in concauitate posteriori cerebri malum sed

In cerebro accidit exitura & saluatur æger.

forte quòd G. nec Rasis ibi intelligunt de exitura in substantia anteriori cerebri: quid sit sufficit quòd intelligatur ad minus esse in panniculis & sufficit nobis Auic.

¶ Quod etiam contingat cerebrum lædi & sanari tenet conciliator differentia. clxxxi. & tenent hoc multi alij. Et si aliqui tenent contrarium hoc est: quia pauca uiderunt & minus sciunt.

Sex uisi sunt i cerebro læsi et sanati.

¶ Credo ego mihi ipsi & fateor quòd uidi usq; ad hunc diem sex homines à quibus notabilis quantitas medulle cerebri exiuit & sanati sunt. De quibus aliqui non post multum tempus mortui sunt apoplectici. Aliqui eorum maxime duo semper passi sunt paralysim unius lateris: tamen uixerunt per duos annos. De quibus tres uidi & curaui in terra Carpi: etiam dum essem satis iuuenis & pro ætate non fui deceptus: & habui fideles & peritos physicos in societate à quibus in prima uel in secunda uisitatione ego extraxi à labijs uulnerum magnam cerebri partem quæ ex se exierat craneum.

¶ Et unum uidi in ciuitate Pistorij quem curabat quidam Angelus hebræus satis expertus chirurgicus & sanatus est.

¶ Et duos uidi quos ego curaui Bononiæ. Vnus fuit quidam dominus Vincentius Ragacia. Alter fuit dominus Paulus nepos Cardinalis Histrigoniensis.

¶ Et ad istum habui multos nobilissimos testes & doctos cui extraxi in prima uisitatione aliquam portionem cerebri. Deinde in. xiij. die exiuit alia notabilis portio. Et tandem usq; ad sexagesimum deuenit diem sine aliquo malo accidenti.

Nota notabilissimũ casum.

¶ Et tale foramen in cerebro erat ualde profundum: quia causa fuerat cuspis unius runche: & remansit tale frustum in cerebro perpendiculariter per diem & erat longitudinis quatuor digitorum quòd tenaculis magno labore extraxi: quia uix poterat uideri & capi.

¶ Et in eodem foramine tenui tentam per quinquaginta dies uel circa: quia semper emanabat humiditas aquosa & multa, tamen tunc ad nihilum deducta fuit ipsa humiditas. & tunc extraxi tentam quæ erat canulas

ta. & tentaui consolidare uulnus.

¶ Et sic circa sexagesimum diem ob materiam in cerebro contentam superuenit maximus paroxismus epilepsiæ cum maximo omnium membrorum tremore & rigore. Exẽplum epilepsię.

¶ Hoc ego uidens iussi ipsum pedibus eleuari & capite deprimi. & cum stilo paulatim aperui foramen illud prædictum sub craneo in quo inueni magnam quantitatem materiæ aquosæ colore lacteo coloratæ qua euacuata statim cessauit epilepsia & rediyt in bonum intellectum.

¶ Hoc uidens iterum posui canulam & cum lotionibus syringabam taliter quòd exiccaui totaliter illam humiditatem. & sanitati restitutus est qui postea uixit longo tempore. & ascendit ad apicem episcopatus.

¶ Et Deum testor quòd ipse iurabat quòd ipse semper etiam à principio læsionis habebat coitum cum quadam ancilla domus & si non singulis diebus alternis tamen. & quòd bibebat tres phialas aut quatuor maluatici singulis diebus à principio læsionis ex hoc credo ego istum fuisse sanatum nutu Dei. quidã læsus in cerebro coibat & maluaticũ bibebat & sanatus est.

¶ Et etiam iuro quòd unus illorum prædictorum quos sanaui in terra Carpi cuius nomen erat Rumpha: & erat uillicus: comedit tempore quo deterius se habebat singulis noctibus carnem salsam in magna quantitate cum pane & melle. quidam comedit carnes salitas & mel et sanatus est.

¶ Nam hic tempore noctis clam surgebat: & capiebat carnes salsas non lotas nec à sale expurgatas & sub prunis coquebat eas, & habebat magnam mellis quantitatem sub lecto & sic nemine sciente triumphabat. & sic fuit in ueritate.

¶ Hæc dixi ut contradicerem opiniosis qui non credunt cerebrum posse sanari quos rogo ut uelint dictis nostris acquiescere: quia ego cognosco & cerebrum & saniem & alias medullas.

¶ Qualiter autem uulnera sint lœtalia & quæ sint lœtalia aliqualiter dictum est ex supra narratis.

¶ Signa tamen aliqua iterum salutem uel mortem indicantia addam. & inter alia signa cum medicus uidet febrem & aliquod malorum præ-

Depræssio labiorum sine sanie malum.

dictorum accidentium cum depræssione labiorum uulneris & cum malo colore sine sanie arguat indubitatam mortem.

Que ossis denigratio mala.

¶ Et si uideat denigrationem ossis quæ denigratio non remoueatur cum ferro eam fricando signum est quòd non est ex medicina: sed arguit saniem malam & corruptam sub craneo quæ si corrupit os etiam corrupit panniculum: quia facilius est panniculum corrumpere quàm os. stantibus ergo prædictis signis arguatur mors.

Nigredo pánniculi mala.

¶ Vel si panniculus sit niger: & non est nigredo à medicina: sed quia corruptus est panniculus tunc medicus arguat mortem.

¶ Et hoc signum est positum à paulo authoritatem cuius recitat Rasis & Auic. cap. de fractura cranei in fine.

Interdum os est nigrum & non est malum signum.

¶ Nota tamen quòd potest contingere quòd os sit nigrum & non à medicina nec propter corruptionem factam à sanie contenta inter os & panniculum: & non erit ita periculosum ut supra.

¶ Quia contingit quòd contundatur craneum in aliqua parte uenosa cranei à qua rumpentur uenulæ illæ quæ sunt in porositatibus cranei. Et fractura non penetrabit interiorem tunicam cranei. Et sanguis in meditulio cranei, idest in porositatibus & spongiositatibus ipsius putrefiet ibi: & ita fiet nigredo in osse quæ non remouebitur à medicina nec facta est à medicina nec remouebitur à leui fricatione cum ferro & cum medicus uidet talem nigredinem cum qua non sint sæua accidentia. sit solicitus in aperiendo os & in remouendo totum denigratum: ne illa corruptio descēdat: quia potest sanari quòd si ponatur in mora de facto succedet malum.

¶ Verum est quòd forte sanguis ille potest: à medicina exiccari & maxime in corpore mundo & obediente. Dico tamen quòd illud os denigratum necessario cadet, idest quòd natura expellet ut communiter facit alia ossa alterata abiere & à sanie & à medicinis, uel quòd medicus debet remouere usq; ad partem sanam cum raspatorio uel alio ingenio.

¶ Tutius tamen est aperire usq; quo remoueatur totum os dubitatum & à quacunq; causa fiat nigredo remoueatur si possibile est.

Oino fiat ap.

¶ Quia si est à sanie uel à panniculo corrupto facta apertura potest ex-

purgari

¶ Oportet etiam te uidere quid de oculis in somno uideatur. si enim sola alba uideantur subclusis palpebris nec solutio aut per se aut per catarticum præcesserit ne q; ex consuetudine hoc euenerit mortis signa timebis. & si palpebræ inuersæ fuerint aut liuidæ siue labia similiter fuerint aut nares distortæ. His signis siue solis siue prædictis mortē proximam iudicabis cum conditionibus tamen à me supra dictis.

¶ Ex modo iacendi etiam iudicatur malum & bonum iacere enim modo sano bonum econtrario uero malum &c. *Signa ex modo iacendi.*

¶ Claudendi Riuos de signis prognosticis iam tempus adest. Ad maiores fontes uadant qui maiora quærunt: sed ad curam ob quam prædicta diximus transeundum.

¶ Læsionum exteriorum capitis cura.

QVia contingunt capiti uulnera parua & magna & contusiones & perforationes telo stilo uel sagitta etiam siue læsione cranei: primo de eis cura est ponenda à debilioribus inchoantes ut nihil uel parum intactum relinquatur. Attende tamen lector quòd de contusione nō est confidendum sicut de perforatione & de incisione: quia semper ab ea decipiuntur medici & ægri. Dantur tamen etiam contusiones in capite sine læsione Cranei & pericranei sed difficilius cognoscitur contusio q̄ incisio & perforatio. *Contusio decipit medicos.*

¶ Ad quam cognoscendum fiat consideratio causæ lædentis de quibus contusionibus aliquæ sunt cum disruptione cutis magna uel parua q̄uis raro sit magna disruptio quin attingat ad pericranium & ad craneum.

¶ Et aliquæ sunt sine disruptione cutis q̄uis cutis sit soluta secundum numerū multum: quia cutis est uiscosa & densa & nō ita de facili rumpitur. ac si esset dura uitrea sine uiscositate ut os.

¶ Incipiamus ergo à contusione sine disruptione cutis: & dico quòd qui recte uult curare læsiones capitis tam leues q̄ fortes debet cōsiderare totis uiribus an patiens sit fortis uel debilis: & ætatem et regionem & tem-

Ad multa debet aduertere medicus pro cura.

pus anni. & regimen precedens. Et si est boni capitis & si est assuetus pati dolores capitis & aqua causa. Et quæ sit eius complexio totius deinde quæ sit complexio capitis eius. & secundum prædicta se gerere in cura quantumcunq; sit leuis.

¶ Superueniens ergo medicus leui contusioni sine disruptione cutis prima hora abradat pilos eos humectando oleo rosato cum uino uel cum oleo communi uel cum altero eorum & abrasio sit longe maior loco contuso. Et quia in talibus contusionibus sine disruptione fit tumor statim magis & minus secundum causam fortem & debilem huic tumori succurrendum est isto modo.

Frictio et uentosatio non sit corpore pletorico.

¶ Primo fiat diuersio phlebotomia uel uentosatione uel fricatione partium capiti propinquarum puta spatularum inferius descendendo ad brachia & per dorsum ad crura. & si corpus sit pletoricum, prius euacuetur quàm fiant fricationes & causa est scita: prius tamen applicita aliqua li medicina locali in loco contuso ut melius possint cum quiete ægri fieri prædicte diuersiones.

¶ Tamen aduertat bene quilibet quòd impossibile est quòd medicus superueniat contusioni prædictæ & ueniat qua hora uelit: quin actu fluxa reperiatur materia in locum.

¶ Ideo non est puris repercussiuis procedendum: quia hic tumor arguit apostema esse in augmento notabili quo ad cursum materiæ.

¶ Et ne dubitet aliquis quòd hic non sit apostema cum hic sit tumor & solutio continui. Et etiam mala complexio super quo dubio hic nolo conterrere tempus.

A causa primitiua apost. non repercutitur.

¶ Nec etiam repercussiuis est utendum: quia canonem habemus uniuersalem quòd apostema factũ à causa primitiua nõ debet repercuti propter clausionem pororum & maiorem conculcationem materiæ in loco.

¶ Nec etiam debemus in istis uti resoluentibus prima hora dum adhuc materia est in cursu: sed intentiones debent esse mixtæ. & cõmuniter practicantes prima hora capiunt ouum. s. uitellũ & albumen simul: quia hic non requiritur sanguinis constrictio ut solũ capiatur albumen & secũ po-

nunt de oleo rosato. Et simul conquassatis cũ stuppa in eis infusa capiti applicant prius loco inuncto cũ oleo rosato tepido. Et in primo die naturali bis mutant talem medicinam & est ualde bonum: quia istam mutationem non impedit sanguis nec aliud. Et ita sedatur dolor. & pro parte repercutitur cũ ouo & oleo, quæ magis dicitur loci confortatio q̃ repercussio. Et mediante uitello oui fit leuis resolutio: quia est temperatæ complexionis: quamuis aliqui dicant uitellum esse calidum, & albumen frigidum, & totum temperatum. Cui opinioni ego assentio: tamen dico uitellum nõ multum esse calidum: qua caliditate resoluat. Et ita isto modo ego processi diebus uitæ meæ: & semper mihi bene successit.

Ouum est tẽperatum in cõplexione.

¶ In secunda uisitatione. s. in secunda die: Addatur aliquid cymini, cum prædictis & ad formam emplastri applicetur actu calidum.

¶ Elapsa quarta die capiatur mel coctum secundum arter. et in eo ponatur cyminum prædictum. Et ad formam emplastri, applicetur capiti usq; ad finem curæ, et erit conueniens, quæ cura ad plus terminatur in. x. diebus uel parum ultra, nec dico plus de decimo die, q̃ de minori, uel de maiori tempore, sed communiter prædicte læsiones non transeunt tale tempus, uel ad plus. xiiij. diem, sequens dictum medicorum, scilicet ut plurimum.

Emplastrũ expertum.

¶ Alio etiam modo proceditur, scilicet à principio applicare oleum rosatum uel camomelinũ infusis in eo tribus, uel quatuor pecijs, una super alterã applicare capiti. uel oleũ rosatum solum tepidum quocunq; tempore ut citius actuetur, hiemis tamen tempore magis calidum: & ligatura retentiua conuenienti adhibita, sic procedere, deinde transacta quarta, aliquod emplastrum uel ceratum resolutiuum, loco applicare, usq; in finem curæ.

Alio modo

¶ Et prædicta olea mutentur bis uel ter in die secundum necessitatem, nam stante forti dolore in loco requiritur frequens mutatione, & non solum petias in oleo infundere uerum etiam requiritur cum prædictis oleis embrocatio, quæ magis penetrat. Et si dolor esset intensus ualde debet medicus considerare doloris causam & illi si opponere.

Ingentium ad se dandum dolorem.

¶ Nam si causa esset materia in loco aggregata & coniuncta, quæ multitudine sua dolorem inferret, debet medicus cum mollitiuis, & anodinis procedere, sicut est decoctio altheæ, seminis lini, & fœnigreci, & cũ tali decoctione embrocare, uel fomẽtare & ex prædictis rebus decoctis in eadem aqua emplastrum conficere, & capiti applicare impinguando emplastrum cum oleo camomille uel cum oleo aneti, uel cum pinguedine gallinæ uel anatis, & similibus uel oleo amigdalarum. dulcium talia enim aperiunt poros & sedant dolorem sedatione uera.

galine pingdo

¶ Pinguedo enim gallinæ ut dixi dolorem sedat, & etiam resoluit maxime si inueniat corpus mundum, cursa iam materia. Vnde inquit Gal. iij. memiri cap. de difficultate auditus, infra in quodam suo sermone ubi reprehendit Erophilum, & apollonium, de medicinis ad dolorem auris: quæ totaliter contrarie existunt, hæc uerba.

Nota de pinguedine gallinæ.

¶ Gallinaceus igitur & anserinus adeps, siquidem inuenerit corpus præeuacuatum, & nondum influentem, operantem phlegmonosam dispositionem humorum, secundum duplicem rationem contulit, scilicet mitigatiuam & curatiuam. Si uero influente adhuc, adducatur dispositione in nullo quidem iuuat mitigat uero syntoma doloris. Et hæc omnia fiant non omissis uniuersalibus. s. phlebotomia uentosatione pharmacia conuenienti, uel clysteribus secundum quòd potest & debet medicus.

¶ Conuenit etiam applicare loco lanam isopi, cũ aliquo ex prædictis oleis, cessato uero dolore & à debilioribus semper incipiendo, resoluenda est materia. et hoc est resolutiuum leue.

Resolutiuũ leue expertum.

¶ Recipe isopi humidæ unci. iij. olei camomille unci. ij. pulueris absynthij et betonicæ ana quantum sufficit et fiat emplastrum.

¶ Aliud fortius. Recipe terbentine unci. iij. Isopi humidæ unci. ij. betonicæ matris siluæ ana unci media cymini unci. i. et fiat emplastrum.

¶ Terbentina etiam sola cum cymino est mirabilis, uel terbentina cum tantundem ceræ citrinæ et sufficienti quantitate cymini addita fac emplastrum et loco applica.

¶ Vel recipe pulueris saluiæ et maioranæ, sticados arabici calami aros

matici rosarum rubearũ absynthij ana partes æquales et cũ uino cocto et pauco melle: & modico terbentinæ, facere emplastrũ & capiti applicare.

¶ Aliud etiam ualde conueniens sub forma cerati. & ego utor isto & appellatur à me ceratum betonicæ. Recipe terbentinæ rasinæ pini ceræ nouæ ana unci.iiij.pulueris betonicæ unci.una & media, masticis thuris ana unc.media mumiæ dragmæ.iij.fiat massa secundum artem & extende super corio & capiti applicetur. Hoc ceratum dimittatur in loco per octo dies, antequàm moueatur. Deinde muta, aliud nouum ceratum applicando, & uidebis mirabilem operationem. Et etiam si applicaueris prima hora non existente forti dolore. Ceratum expertum.

¶ Aliud ceratum etiam conueniens, & expertum. Recipe terbentinæ ceræ rasinæ pini ana unci.iij.liquefiant simul deinde adde sandaracæ thuris masticis ana unci.mediam misce & utere prædicto modo, super corio extendendo uel petia. Et conuenit in istis casibus inter alias medicinas meũ ceratum humanum appellatum, cuius descriptionem ponam inferius, cui medicinæ non est par etiam à principio. Ceratum expertum.

¶ Tamen ista resoluentia, uerius applicantur transacta quarta: sed in primis diebus semper procedatur uel cũ oleis uel cũ ouo, ut in primis dixi.

¶ Dico præterea quòd interdum erit dolor à materia calida cursa in loco, quæ forte erit cholera & tunc conueniunt ualde frigida, ut oleum rosatum cum succo semperuiuæ, uel solatri uel lactucæ uel uenusaris, uel portulacæ uel psilij uel polygoniæ & sarmentorum uitis, & uuæ non maturæ maxime in regionibus ualde calidis & in ætate cholerica, & in complexione cholerica & æstiua existente hora. Si dolor est à cholera.

¶ Papaueris autem & mandragoræ succum cauere oportet, non enim absq; nocumento infrigidant, ualde etiam stiptica nocent, & si stipticantium necessitas occurrit parum de eis ponatur. Et ita parum permiscemus mali granati uel citonij uel mespili, melior tamen est succus granatorum acetosorum. & etiam ualet succus cucurbitæ cum agresta.

¶ Et si timeamus aliqua corpora uehementer infrigidari ab istis, sicut sunt corpora mulierum. & eunuchorum & infantium, & aliorum carnem

mollem habentium & album colorem & non assueti sole. loco olei rosati administramus oleum camomelinum. Prædicta omnia sunt antidota Gal. secundo memiri cap. de cephalargia ex adustione, ubi dicit quòd etiam cephalea fit à cursu humorum & uaporum ad caput.

Antidota Gal.

¶ Et prædicta remedia conferunt in omnibus prædictis casibus. Et conuenit administrare aliquid aceti cum prædictis ut medicinæ uirtus penetret ad profundum siue misceatur acetum cum prædictis oleis siue cum emplastris siue cum ceratis. Et maxime conuenit acetum ubi non est rupta cutis aliquo modo uel saltem quòd dura mater non sit detecta ut inquit Serapio de cura sode à percussione inquit. & post illud si uelamen retale durum fuerit detectum fundemus super illud oleum ro. tepidum tantum quòd si non fuerit detectum & algengemati fuerit sana addemus oleo ro. parum aceti & appropinquabimus ipsam matri capitis ut perueniat ad uelamen durum retale quòd si apostema fuerit cum dolore recedemus ab aceto quòd est quia si cum apostematibus quæ fiunt in cute capitis & panniculo circundante super algengemati non fuerit dolor magnus tunc possibile est ut quiescat cum oleo rosato & parum aceti: idem etiam dicit Haly. quinto theor. cap. x. mirabiliter enim acetum nocet neruis & capiti, si habeat uiam latam penetrandi, sicut est quando est plaga & disruptio in capite. Tamen Celsus cap. de fractura Calue utitur aceto lauando eo capitis membranas de quo satis miror cum acetum ex se sit aptum dolorem causare sua acuitate. Et alij omnes auctores cauent ab aceto in capite stante dolore & apostemate. tamen Auic. & aliqui alij utuntur ipso aqua mixto etiam craneo rupto ad sanguinem constringendum ut dicetur inferius loco suo.

Vbi conueniat acetum.

¶ Gal. etiam secundo Memiri concedit acetum etiam stante plaga. Dico tamen quòd Gal. concedit, si plaga est sine detectione ossis. Et quòd nõ sit magna plaga inquit. Secundum hanc igitur excogitationem: si ipsi grossæ miringæ, afferatur rhodinum sicut in his: in quibus abscinditur aliquid ossis capitis fit, solum afferimus purum tepidum facientes: quando uero absq; quòd denudetur os, uolumus rhodinum sano existente craneo, per

bregma capitis transire ad miringam permiscemus acetum ad id deducendum cuius rursus uirtutis uehementia exoluitur in uia, & in permixtione rhodini. Quia igitur indeterminate apollonius, acetum rhodino misceri iussit peccauit. cutis enim capitis uel pericranei quæ est post ipsam phlegminatio cum fortis fuerit, poterit utiq; iuuari permixto modico aceto rhodino. offendetur autem cum fuerit magna: & dolorem inferret uehementem.

¶ Sed sunt aliqui qui credunt Gal. concedere acetum stante disruptione magna in capite si ita sit quòd homo est: cui opinioni non assentio: quia uidi experientia acetum magnum inferre nocumentum, nec bene explicite litera Gal. prius posita. loquitur si sit plaga. Dicit tamen Gal. quòd acetum confert in principio rhodino mixtum. & ego dico idem: sed etiam dico acetum conferre, in alys temporibus, quia si admisceatur medicinis: status in casu prænarrato & medicinis declinationis: facit eas penetrare & hoc est notum omnibus. Volo hæc prædicta sufficere de leui contusione capitis sine disruptione cutis.

In principio cõuenit oxirhodinum.

¶ Si autem contingat lædi caput, à re contundente: cum ruptura cutis sine cranei læsione: dico istam esse leuiorem prima: quia sanguis contusus habet liberum exitum & potest facilius resolui: sensibiliter uel insensibiliter: nam stante plaga exit sanguis necessario. Et si non exit sufficienter Medicus potest aliqua re aspera labia uulneris confricare & habebit intentum: quia hic modus satis iuuat si uenæ non sint magnæ.

Leuior est contusio cum uulnere q̃ sine.

¶ Et teste Auic. hic sanguis multum confert nam quarta quarti inquit & fluxus quidem sanguinis quantitate temperatus confert uulneribus. prohibet enim apostemationem opilationem & febrem.

Flux. sang. tẽperatus cõfert.

¶ Hic sanguis etiam contusus resoluitur melius insaniem & etiam in uapores ut patet cuicunq; experto stante plaga.

¶ Factis ergo uniuersalibus uidendum est an hæc læsio sit cum læsione pericranei, uel saltem cum detectione ipsius: quia interdum id quòd est supra pericraneum contunditur postea putrefit, & cadit, & sic detegitur

pannículus, qui etiam si sit alteratus leuiter tamen, cum conuenientibus medicinis seruatur: & carne tegitur.

¶ Si autem pericraneum sit læsum, quòd cognoscitur sensu & existimatiua. Hæc cura non est post ponenda: sed indiget medico legittimo: quia periculum est ne nocumentum transeat ad duram matrem mediantibus ligamentis eorum per totum.

Prima uisitatio.

¶ Cura ergo sit talis in prima uisitatione apponatur clara oui cum stuppa, & tente siue stuelli de ea sint tales quòd dilatetur disruptio cutis, ut liberæ possint, intromitti medicinæ & quòd sanies non retineatur.

¶ Et si cutis sit ut sæpe contingit, in tali casu in aliqua parte disrupta, & in aliqua non: sed tamen attrita sit hinc inde & quòd pericraneum non sit detectum sed medicus considerata fortitudine causæ lædentis & magnitudine disruptionis & attritionis dubitat pericraneum esse læsum statim rasorio uel alio instrumento debet totam contusionem dilatare triangulari uel quadrangulari figura: quia forte sic operando inueniet craneũ de quo forte non dubitabat esse læsum quia semper medicus iudicat quæ ueræ iudicat plus sensu quàm imaginatiua.

quid agendũ pericraneo læso.

¶ Nec ferro nec manu medicus amoueat pericraneum à craneo in primo opere: sed detegat pericraneum à carne contusa.

¶ In secunda uero uisitatione uideat si pericraneum sit contusum. Et si est quòd possit dubitari de craneo, ferro uel aliquo ingenio separetur pericraneum ab osse ut uideatur quid infra eum sit.

¶ Nec dubitet talia facere operator quamuis sit membrum sensibile quia paucus fit dolor stante prius forti contusione. & hoc infinities ego feci & sic uidi ab alijs operatoribus fieri: & bene successit.

¶ Si uero esset læsio quæ non poneret dubium de craneo relinquatur pericraneum in loco suo: quia uel carne cooperietur uel cadet mundificando ut requiritur in cura.

¶ Et facta tali operatione repleatur uulnus stuppa. Ex qua fiant tentæ stuelli sine lychinia quæ idem sunt & in ouo contuso infundantur. & in tali casu ubi ego non dubito de magno sanguinis fluxu. Capio totũ ouum

simul

simul cum modico rhodini concussum quia magis dolorem sedat & dimittantur per diem naturalem ut stuppa bene exciccetur: quia cũ magis exiccatur labia uulneris magis aperta remanẽt. Et ita medicus melius postea operatur in aperto uulnere q̃ in clauso & cum minori dolore patientis.

Tentæ cũ ouo non moueantur nisi post xxiiij. hor.

¶ Et hoc semper obseruent medici maxime quando intendunt trapanationem uel aliam operationem scilicet quòd labia sint bene lata ut operando in labijs non fiat contactus ab instrumentis, à quo causetur dolor qui est una ex causis quòd infirmus non uult, nec potest pati tales operationes, & quòd plus est si patiatur coactus & cum dolore dolor potest esse causa causarum mortis.

¶ Memoretur etiam quilibet operator, quòd in tali opere interdum inciditur uena notabilis capitis, ideo habeat pulueres constrictiuos & canones constringendi sanguinem semper paratos.

Sint parati pulu. constrictiui sangu.

¶ Si autem medicus non dubitat de pericraneo læso: sed quòd etiã esset cutis hincinde desecta & attrita fracturis siue disruptionibus in æqualibus tunc ex omnibus fiat una: eas aperiendo leuiter ferro uel in una quaq; earum ponatur tenta ut aperte seruentur, & ut inde libere sanies expurgetur: Et ut supra dictũ est cum ouo & stuppa in prima operatione curetur.

¶ In secunda uero uisitatione ad alia localia transeundum est quæ localia triplici de causa applicantur primo ad dolorem sedandum qui est de magis prosternentibus uirtutem. secundo ad confortandum membrum ne recipiat materiam aliunde, unde fieret apostema. tertio ad dirigendum materiam coniunctam, & labia uulneris etiam dirigenda.

Localia tribus de causis applicantur in principio.

¶ Et iste intentiones reperiuntur omnes in oleo rosato omphacino aromatico & recenti quòd anno illo confectum sit ut inquit Gal. secũdo memiri cap. secundo de cephalargia ex adustione.

¶ Quod oleum rosatum sedet dolorem notum est omnibus. quia hoc facit sua unctositate poros aperiendo.

¶ Quod confortet membrum est etiam clarum sua stipticitate, propter immaturitatem & propter uirtutem rosarum quæ est stiptica leuiter & sicca & aromatica.

qualitates olei rosati.

¶ Quod digerat etiam planum est sua unctuositate & temperie quia cõuenit in materia calida & frigida. Calefacta enim membra infrigidat & infrigidata calefacit. & digestio non est nisi æquatio qualitatum & substãtiæ in humoribus penes medicos. igitur oleum rosatum, est digestiuum: quia perficit prædicta in uulneribus.

¶ Conuenit etiam oleum rosatum stante apostemate in augmento. Et in talibus contusionibus semper est tumor: qui in secunda die potest dici & etiam in prima augmentum apostematis & oleum rosatum in tali augmento est medicina præcipua sicut inquit Gal. in libro de simplicibus distinctione tertia capitulo quinto & ultimo loquens de rosa & de oleo rosato.

¶ Inquit oleum uero rosatum quoniam in natura sui est medium, inter oleum & rosam, tunc est de melioribus quibus medicantur ista apostemata, in hora augmenti eorum, & suæ ascensionis. Et illud est quoniam oleũ rectificat ea. & conferreis in hora status eorũ sicut iam ostendi ex eo per experimentum, & dicam causam de hoc in libro de ingenio sanitatis.

Conditiones olei rosati per Gal.

¶ Verum oleum rosatum, propterea quòd est medium inter duas medicinas simplices, ex quibus componitur confert in hora media, inter duas horarum, in quibus conferunt illæ: & illud est quoniam in principio horæ apostematũ oportet ut prohibeatur materia, & abscindatur attractio eius & in hora status eorum oportet ut resoluatur resolutione cum qua nõ sit mordicatio: sed in hora augmenti & ascensionis oportet prohibere quòd effunditur de materia & resoluere quòd collectũ est ex ea simul. Et hæc est res quam cũ homo audierit nõ considerans de eo quòd præmissum est de ratiocinatione quam diximus fortasse non recipit neq; ueridicat eam.

¶ At cum præmissæ sint istæ duæ ratiocinationes necessario non scio aliquem qui perueniat ad hoc ex ignorãtia sua ut neget hunc sermonem, & non recipiat ipsum & uendicet ipsum. Et oportet cum hoc necessario ut significatio sumpta ex ipsa ægritudine secundum illud quo medicantur in hora augmenti horum apostematum, & eorum ascensionis significet super duas res contrarias. Et id est quoniam permutatio subito de re

bus stipticis quæ aggregant substantiam membri. Et stringunt ipsum, ad res quæ mollificãt & resoluunt est horrida neganda, & in hora quæ est inter principium apostematum & eorum statum propterea quòd sunt in dispositione augmenti non est conueniens, ut medicetur cum rebus quæ prohibent & abscindunt attractionem penitus sicut fit in eis in principio ipsorum, neq; ut medicentur cum resolutiuis rebus: sicut fit in eis in hora status ipsorum: immo sicut in horis ægritudinis est medium inter duas horas unicuiq; earum partiũ, pertinet contrariũ eius quòd pertinet alteri similiter oportet ut sit medicina quæ administratur in illa hora media. Non ergo facit stipticitatem sicut faciunt medicinæ quæ administrantur in principio neq; resoluit sicut est resolutio medicinarum quibus curatur in hora status. & omnis res quæ est media inter duo cõtraria est permixta ex utrisq;. & ita est oleum rosatum.

Oleum rosatum conuenit in augmento apost.

¶ Vides lector per uerba Gal. quantum ualeat oleum rosatum in prædicto casu si bene rimeris prædicta. oleum rosatum ergo est de melioribus medicinis ad prædicta uulnera capitis: nam sedat dolorem & confortat membra & resoluit. Et tale oleum administratur purum infundendo petias in eo & fila. Et totum caput inungitur maxime per totum tempus augmenti apostematis.

¶ Sed dicet aliquis non ne etiam confert oleum rosatum in uulneribus alijs in quibus non est contusio, & consequenter in eis non est talis prædictus tumor: quia Auic. & alij doctores utuntur oleo rosato etiam in detectione panniculorum ut non fiat apostema. immo Gal. in fine sexti therapentice laudat medicinam doloris sedatiuam in uulneribus capitis ut est oleum rosatum, & dicit quòd medici Romani ea utebantur.

¶ Dicendum est quòd oleum rosatum confert in alijs uulneribus quamuis non sit ibi apostema nam in uulneribus capitis & aliorum membrorũ, requiritur doloris sedatio & repercussio humorum à membro. Et membri cõfortatio. & materiæ in labijs uulnerũ contente aliqua digestio, & talia sunt in oleo rosato igitur est præcipua medicina ĩ prædictis uulneribus: sed conuenit in principio uulnerũ quòd principiũ extendit se in uulneribus

Oleum rosatum conuenit in uulneribus

magnis usq; ad securitatem apostematis & parũ ultra quòd tẽpus est circa decimũ diem. Et hoc ego intelligo in uulneribus quæ non sint composita cum alijs ægritudinibus uel aliquo accidente curam impediente de isto etiam modo administrationis olei ros. latius dicemus infra loco suo.

¶ Et notanter dixi in magnis & notabilibus uulneribus: quia parua uulnera paruam habent cosiderationem: quamuis etiam oleum ro. conferat in paruis. Hæc principalius dicta sunt pro magnis: quia parua de facili curantur. Et si bene hic de paruis uulneribus sit sermo per ea hæc non sunt dicta: sed magis disputandi & ueritatem inquirendi gratia dicta sunt quæ etiam medicinæ pro maiori parte conueniunt stante fractura cranei.

An ouum conueniat cum oleo.

¶ Nota tamen quòd sunt multi qui à principio utũtur in istis uulneribus oleo rosato & uitello oui. Et in forma unguent applicant loco & circum circa cum oleo rosato inungunt uulnus quòd ego non multum laudo quia ouum est de facili putrescibile & quantum possumus debemus in uulneribus capitis putredinem aufugere, & prohibere ne putrefiant panniculi, igitur plus laudo oleũ rosatum purum. Et si tamen conuenit cum ouo conuenit in digerendo labia uulneris tantum: sed non debet administrari in profundo esse detecto: sed bene dico quòd potest applicari in istis uulneribus & perforationibus & contusionibus exterioribus sine cranei detectione. Et hoc fieri uidi pluries & bene successit tamen plus laudo oleum rosatum purum in quocunq; casu.

Terbentina cum oleo quid agat.

¶ Sunt aliqui alij qui utuntur terbentina mixta cum uitello oui à principio qui etiam modus est non bonus quia in terbentina est aliquid nitrosi & aperitiui nec est uirtus stiptica in ea, nec fit repercussio ab ea quæ est necessaria in omnibus uulneribus capitis ut patet consideranti, quamuis terbentina sit de melioribus medicinis ad uulnera neruorum: non est iudicio meo conueniens in tali casu: & eo maxime quia etiam non reperio aliquem ex antiquis medicis qui usus fuerit ea in uulneribus capitis parcant igitur qui ea utuntur. Et si bene cum ea ponerent oleum rosatum uel circa uulnus uterentur oleo rosato dico quòd terbentina non placet mihi à principio propter prædicta. Et quamuis aliquibus bene eueniat hoc est

per aliud quia etiam errore ducti interdum sanant.

¶ Reperiuntur & alij qui utuntur emplastris suis calidis, & etiam siccis à principio quos ego non laudo propter prædicta. & aliqui qui certis distillationibus calidis cum aqua uitæ quos etiam detestor quamuis aliqui euadant qui non solum peccant cum localibus, uerum etiam exhibendo dietam grossam cum uino & carnibus.

In principio non conuenũt calida.

¶ Cum uero prædicta uulnera sunt secura ab apostemate carne repleantur ea lauando cum uino mellito & applicentur unguenta carnem generantia sicut est unguentum basilicon: Et unguentum rasinum, idest Citrinum usuale uel meum unguentum capitale infra describendum de matresilua appellatũ & pulueres carnem generantes sicut est puluis factus ex. s. draconis mirrha aloe farina orobi & sarcocola & turæ & mirtilis & similes his cũ uero sunt carne repleta debet administrari aliqua medicina cicatrizatiua sicut est unguentum de minio uel de litargyrio uel de tuccia uel de ceruſa coctis talibus unguentis ad formam cerati deductis & non debent administrari talia unguenta nisi uulnera sint carne repleta totaliter; sed quia interdum caro crescit superflua debet medicus illam superfluã carnem cum unguento apostolorum remouere uel cum allumine zucarino uel allumine usto quòd longe melius est cæteris prædictis. Nam allumen tale ustum leuiter aspersum carnem superfluam exiccat & cicatrizat supra posito postea aliquo ex prædictis unguentis.

Remedia sigillantia.

¶ Sed ego sæpe usus sum aliquo ex prædictis ceratis uel meo cerato humano, uel aliquo alio cerato, puta cerato de betonica quòd est singulare usq; quo completa sit sigillatio. & ita facta cicatrice dimitto per octo dies aliquod prædictorum unguentorum uel ex ceratis prædictis super cicatricem ut ingrossetur & induretur plus illa caro callosa. Et sic sit finis de uulneribus capitis & de contusione sine fractura cranei.

¶ Sed quia contingit etiam caput uulnerati sæpe sine læsione cranei cum de perditione cutis & carnis curam ipsius ponere destinaui. Et primo dico quòd præmissis uniuersalibus & constricto sanguine & sedato dolore administretur medicina mundificatiua leuis sine mordicatione sicut est

Cura si est amissa carnis substantia & cutis.

oleum rosatum & mel rosatũ simul minuendo quotidie de oleo usq; quo ueniatur ad mel ro. purum. Et etiã meum unguentum capitale est singulare. Valet etiam unguentum basilicon maius & minus & facta mundificatione simul cum melle rosato ponatur aliquid masticis & sandarace uel thuris uel de omnibus ut uulnus carne repleatur, & cum est in termino quòd possit consolidari siue cicatrizari administrentur cicatrizantia prædicta.

Medianæ carnem generantes.

¶ Replent etiam uulnera ista carne. mira sanguis draco. in lachryma sic appellatus & thus & farina orobi & similia mixta cum terbentina cera & oleo rosato uel mirtino & facere unguentum est ualde conueniens cum prædictis pulueribus.

¶ Possem ego ibi multa unguenta & emplastra ponere pro uulneribus capitis quæ loco suo relinquo: quia ponam & potiones & aquas & emplastra & cerata & pulueres & alia necessaria infra in cura uulnerum capitis ubi ponetur cura per instrumentum potionis.

¶ Scias tamen lector quòd in uulneribus capitis & etiã in alijs membris potest administrari medicina in forma puluerís maxime si intendit medicus cito ea carne replere quia citius satis replẽtur à puluere q̃ ab alia forma medicinæ. & hoc experientia longo tempore uidit: uerũ oportet quòd talia sint uulnera, quòd puluis possit poni infundo ipsorũ. Vnguenta enim & aliæ medicinæ in forma liquida petunt fundum statim cuiuslibet uulneris & ulceris, puluis autem nõ, sed si puluis potest poni in uulnere per totum citius generatur caro q̃ cum alia forma medicinæ.

A pulueribus citius fit caro.

¶ Et hoc cõsiderans Auic. quarta quarti capitulo de nascentia carnis in uulceribus dixit & creatio quidem carnis in eis cum emplastris cõuenientior est & tardior: & cũ pulueribus difficilior & uelocior dicit Dinus & bene quòd Aui. dixit difficilior per rationẽ à me supra dictã. i. quòd cũ difficultate medicina in forma puluerís petit fundum & alias partes uulneris ideo carnis generatio cũ unguentis & emplastris est cõuenientior & facilior: quia unguenta penetrãt melius in quacunq; parte ulceris: ponãtur ergo in ulceribus superficialibus pulueres & non alibi.

¶ Si aũt contingat uulnerari caput non amota carnis substantia est quòd cutis pars magna sit ĩcisa sed nõ totaliter remota à loco, taliter tamẽ quòd uiuat cutis prædicta consideret medicus figurã uulneris & si indiget sutura suatur in decliuiori parte, tñ dimittẽdo aliquod orificiũ apertũ cũ tenta ut si aliqua sanies generetur possit libere mundificari. Et hoc intelligitur si uulnera nõ sint in suprema capitis parte, qa si essent in suprema parte, sanies posset multa inducere accidentia quia hic loci sanies nõ expurgatur sicut à lateribus sed tentis teneãtur aperta secundũ artẽ sine sutura. Intelligas tamen ubi talia uulnera sint sine cranei læsione: qm̃ curantur talia uulnera ut uulnera simplicia semper præponendo uniuersalia & capitis abrasione ut localia possint applicari loco & cum oleo rosato omphacino in quo sit quarta pars terbentinæ uel olei abietini tepido in quocũq; tempore: magis tamen calido in hyeme inungere uulnus & circum circa & super suturam si sutum sit ponere puluerem consolidatiuum uulnerum simplicium: & conseruatiuum suturæ qui fit ex mumia sang. draco. in lachryma & thure hic mirabiliter conseruat suturam & consolidat uulnera recentia. Aliqui sunt qui addunt pilos leporis & masticem. & aliqui myrrham in duplo tamen ponunt de sang. draco. & de mumia & ita consolidantur talia uulnera sed adhibita conuenienti ligatura citius consolidantur quamuis non bene in capite possit fieri ligatura incarnatiua propter formam capitis rotundam: tamen etiam in capite si medicus est diligens & legitimus facit expressiuam & incarnatiuam ligaturam. quamuis sit aliquo modo mendosa quas pluries ego uidi fieri & feci tamen melius fiunt tales ligaturæ in alijs membris.

quæ uulnera suãtur et quæ non.

Puluis suturæ cõseruatiuus.

¶ Sunt aliqui qui non laudant suturam in capite quamuis craneum nec almocati sint læsi: quia dicunt quòd raro consolidantur uulnera ut simplicia & quòd est periculum maximum si generetur sanies in illis uulneribus quòd nõ corrumpat panniculum & craneum: sed quòd debet fieri unio labiorum non completa cum ligatura leui: & teneri apertum uulnus cum tentis. Et id curari per rationem prædictam sicut uulnus compositũ quòd etiam de facili sic curatur.

Vtrum in capite fiat sutura.

¶ Huic parti ego respondeo & dico me uidisse curare & curasse plures similes casus cum sutura & ligatura, orificio tamen dimissio in parte decliui ut prædixi: & isto modo operando cum cautela bene succedet.

Fit sutura authoritate tabri.

¶ Et quòd hæc sutura possit fieri in uulneribus exterioribus est clarum: quia etiam fit sutura si talia uulnera ad intra penetrent: nam.xv. continentis cap.v. in fine authoritate tabri dicitur quòd si ruptum fuerit os & apparebit panniculus qui est super cerebrum fiat effusio super fixuram de oleo ro. tepefacto: deinde extremitates uulneris suantur & asperge super illud de puluere prædicto & inuoluatur pannus in albumine oui & adhæreat ei deinde ligenter super ea pallotulæ infusæ in uino & oleo ex utraq; parte & dissoluatur quolibet die bis aut semel.

¶ Prædictam sententiam ponit ferè per eadem uerba Serapio de curasode à percussione, inquit quòd si apparet quòd os sit fractum tunc nõ est possibile ut redeat ad dispositionem naturalem: oportet ergo ut ingenietur in re eius cum rebus quæ stent ei statione incarnationis & est ut calefacias oleum ro. & fundas ipsum super locum eius & connectas duo labia fixuræ quæ est in cute aut panniculo adinuicem & suas ea cum filo setæ grossæ aut lini, & post suturam administra hunc puluerem cuius præmissa est rememoratio, & permisce cum uino pontico aut albumine oui, & line ex eo super pannum lini & annecte super locum dolentem post suturam & constringe locum constrictione bona & soluatur in omnibus duobus diebus, & fac cum eo illud donec resoluantur apostemata. & conglutinetur percussio &c.

Serapio cõcedit suturam.

¶ Quia superius dictum fuit aspergi debere puluerem post suturam, hic est puluis descriptus à Rasi: Recipe de Aloe uitreolo canfora & sang. dracho. & de balaustijs, non ponitur dosis.

¶ Hic uero est puluis Serapionis Recipe aloes & sarcocolæ ana unci.i. farinæ turis.i. furfurem turis.i. corticum turis unci.ij. sang. dracho unci mediam, aliqui ponunt omnium æquales partes &c.

¶ Tamẽ ego credo suturam à prædictis authoribus factam esse periculosam etiam stante in parte decliui uulneris, orificio aperto ut fit in alijs

uulneribus

uulneribus maxime stante notabili fixura in craneo: in exterioribus uero uulneribus potest fieri ut apparet per dicta & dicenda.

¶ Sed medicus sic operando cum sutura debet suere à lateribus capitis tantum & non in suprema parte in qua de facili retinetur sanies propter situm, in lateribus uero ex se expurgatur: debet etiam esse intentus ad accidentia puta si superueniat febris uel si apostemetur locus uel si retineatur sanies: & illis uisis remoueat puncta statim & res bene succedet. & quamuis generaretur aliqua sanies in loco & retineatur à sutura per hoc non moritur æger maxime si craneum non sit detectum: sed facta diligentia in extrahendo saniem sanabitur. Suatur ergo si sutura indiget & ut supra dictum est procedatur.

¶ Et quòd sit uerum quòd sanies retenta à sutura ut supra non sit ita uerenda sicut dicunt aliqui patet expresse: quia nos uidemus multa apostemata fieri maxime in capitibus puerorum in quibus est multa saniei quãtitas nec per hoc moriuntur nec etiam illis uenit febris de quibus apostematibus ego perforaui plusquam mille & sanati sunt: & tanto plus dico saniem non esse uerendam cum uideam pueros illam pati sine prædictis accidentibus: & maxime cum ipsa sanies sit magis apta lædere pueros propter mollitiem ipsorum & etiam per alias causas quas breuitatis causa silentio prætermitto.

Nõ semper sanies est uerenda à capite exterius tamen.

¶ Nota tamen lector quòd dixi suturam fieri ubi os non est læsum nec pericraneum: quia si in tali casu fieret sutura stante osse læso esset mortis causa: quia debemus detegere & aperire nõ aũt claudere & suere uulnera.

¶ Tamen deum testor me uidisse unum casum quòd ferè non audeo dicere pro magnitudine casus. Dum essem iuuenis accidit Carpi quòd quidam Bernardinus spacinus uulneauit Bernardinum Vicentinum (ambo autem erant milites Illustris Domini Marci pij de Carpo) telo uulgo dicto Roncha & totaliter os frontis à superiori ad inferius usq; ad supercilia separauit ita quòd craneum erat annexum cum cute frontis quæ cutis circa supercilia non erat separata totaliter sed incisa in superiori parte tantum & à lateribus. Et ita os & cutis frontis cooperiebant oculos

Exemplum maximum de sutura.

patientis. cui uulnerato accessit genitor meus & statim amouit os à cute frontis: & os illud erat latũ & longum sicut tota frons & dura mater non erat in aliqua parte læsa. Et statim amoto osse fuit cutem frontis in loco suo sine aliquo spiramine. & apposuit albumina oui cũ stuppa. In secunda uisitatione applicuit meũ ceratum quòd humanum appellatur à me inferius describendum. & consequenter semel in die mutabat ceratum. & in x. diebus hic fuit sanatus tanquã si fuisset uulnus simplex certe apparent interdum miracula in natura. & iste uixit longo tempore & semper apparuit motus diastoles & sistoles in loco in quo deficiebat os. Hæc dixi ut faciam medicos animosos in curandis ægris quia ipsis interdum magna contingunt siue hæc accidant a medico siue ab ægro propter aliquam syderum qualitatem uel aliunde ut inquit Celsus ubi supra quòd multũ confert fortuna in curandis morbis: Sint ergo medici prompti in operando & non desistant à necessarijs propter causas prædictas ab Auic. cap. de sagittis extrahendis ut supra diximus.

¶ Si autem uulnus esset tale quòd non indigeret sutura & quòd esset simplex curetur cura uulneris simplicis prout uulnus est. sed qa talia uulnera simplicia transeunt sæpe in ulcus & fiunt composita qa alterantur ab aere tunc curẽtur: ut cõposita pro cura quorũ tam simplicium q̃ compositorũ recurrãt medici ad Principem nostrum Auic. ubi de uulneribus & ulceribus facit propria capitula. Hic principalius tractatur de cranei fractura.

Varo curãtur uulnera ut simplicia.

¶ Et etiam si uulnera sint à sagitta & à re perforante alterius ordinis curentur ut simplicia: quia talia uulnera simplicia & non composita appellantur si sint ut dixi sine cranei & pericranei læsione & si sint recentia sine aeris alteratione & sine alia causa uel accidẽte uel ægritudine mixta.

¶ Et Albucasis in talibus uulneribus simplicibus laudat oleum rosatum cum uino stiptico.

Gal.

¶ Et Gal. tertio catagenis ut dicitur. xv. continentis inquit si plaga est modica curatur myrrha & aloe & secura fiet conditio apostematis.

Serapio.

¶ Inquit Serapio si plaga fuerit in cute capitis tantum super aspergatur hireos & sanabitur quòd si fuerit concaua usq; ad os curetur cum mirto

myrrha thure & aloe & ligetur & non dissoluatur nisi in quatriduo.

¶ Dixit Auic. cap. de fractura cranei. Vulnerum autem capitis usq; ad terminum almocati cura est illa quæ iam dicta est in capitulo ulcerum & ante ipsum. s. capitulum quia ante ulcera tractat de uulneribus in quibus capitulis stat omnis bonus modus curandi predicta uulnera & etiam aliorum membrorum. Auicen.

¶ Et idem Auic. quarta quarti tractatu primo cap. xij. & ultimo de curatione uulnerum Alsehigi. i. capitis inquit regimen quidem ossis in eis & quid accidat ex accidentibus eorum timidis iam dictum est in cap. ossium & algebra uerum in incarnatiuis ulcerum eorum: & quæ sunt extra ea suffiunt quælibet medicinæ exiccatiuæ leues pu'uerizatæ super ea ex medicina & medicina quidem est facta ex aloe myrrha olibano sang. draco. & similiter medicinæ leues prædictæ in uulneribus quòd si fuerit ilic cursus sanguinis tunc curetur cum eo quòd diximus in capitulo fluxus sanguinis. Auicen.

¶ Et inquit Albucasis: si talia uulnera sunt parua puluerizes super ea de olybano partem unã de sang. draco. duas de calce uiua tres, constringatur uulnus & suprapone puluerẽ & nõ soluatur: quia si non apostemetur cito curatur & calx sola facit illud sed talis puluis conuenit in hyeme magis. Albucasis

¶ Gal. etiam in catagenis laudat farinam ordei cum unctuositate lanæ. i. cum isopo humida & farina ordei, cum mentastro montano. laudatur etiam calamenium montanum. Gal.

¶ Nicolus inquit quòd interdum accidit quòd in contusione cutis à craneo separatur & eam sanant & faciunt adhærere loco suo, folia oliuarum contusa & cum uino optimo emplastrare locum. Nicolus

¶ Dixit Zohar. si uulnus uel contusio uenerit usq; ad panniculum exterius capitis & non cesset dolor per appositionem olei rosati cum lana. adde medietatem sui de oleo uitellorum ouorum. Et inquit quòd læsio talis panniculi est ideo solicitæ attendendum est ne fiat apostema. Zohar.

¶ Laudatur etiam decoctio corticum glandium uel caudæ equinæ in aqua cum melle: uel in uino: & uulnera lauare & supra ponere unguen-

tum de palma.

¶ Quadam laudant uinum cum sale tantum. Aliqui faciunt emplastrum cum cymino aniso & baccis lauri & cũ puluere thuris & mastices de istis parum & furfure multum & cum prædicto uino miscent: & totum caput tegunt.

Remediũ Germanorum.

¶ Sed uidi ego multos Germanos solo sale replere sibi uulnera capitis etiam magna & sanati sunt breui tempore: prædicta uolo sufficere pro cura uulnerum læsionum prædictarum exteriorũ capitis & si ibi supra dicta sint aliqua quæ etiam spectent ad curam intrinsecarum læsionum illa dixi quia non magna est differentia inter medicinas utrisq; conuenientes etiam quia interdum constat soli medico de læsione extrinseca & forte est etiam intrinseca. Non enim absurdum est prædictis medicinis tam intra q̃ extra uti ut constat perito & experto medico.

¶ Expedita cura solutæ continuitatis exterioris capitis ad læsiones particularum intrinsecarum deueniamus. Primo ponendo curam per dietam. Secundo per potionem. Tertio per opus manuale. s. per chirurgiam.

¶ Cura per dietam.

A Dieta exordium incipiens quæ dieta aliud non est nisi ordo, dico dietam hic loci in se continere regimen & nutrientia, quæ à medicis dicuntur res non naturales & sunt sex: quibus si debite utatur homo in quantitate & qualitate, in tempore & ordine res cõseruabit naturales, si autem aliter, fiet illi morbus, & si æger est, eius conseruatur & augumentatur morbus.

Quæ sint res non naturales et quid agant.

¶ Horum omnium testis est Haly. quinto Theorice cap. i. Inquit dico ergo quoniam non naturalia res quædam sunt & causæ quibus homo indiget ut uita eius duret & sunt sex, Primũ quæ omnium corpora est aer circundans, Secundum est motus & quietis genus, Tertium est ciborum & potuum genus, Quartum somni & uigiliarum, Quintum euacuationum naturalium & constipationum, Sextum animalium accidentium est genus, porrò sub euacuationibus naturalibus, balneum continetur, & coi-

tus, & urina, egestio emunctiones & similes his euacuaiones naturales, sub animalibus autem accidentibus, gaudium, ira, tristitia, cura, timorq; concludunt; hæ & enim res, quemadmodum minime naturales sunt, nec generationi hominis cooriginales, sic & minime, extra naturam nec coaliena, his ergo siquis quemadmodum oportet utatur & iusta quòd est ad ea necessitas, in singulis corporibus, in quantitate, in qualitate, tempore & ordine res conseruat naturales, in sua habitudine, & generales illis fiunt, roboraturq; corporis sanitas usq; ad naturalis horam corruptionis, si autem aliter q̃ oporteat, quis illis utatur corpus naturali egreditur habitudine, fitq; illi morbus, & si quidem infirmum est, eius statuitur morbus & augumentatur, Tursianus tamen tertio tecni comment. vij. uult tantum duas conditiones in rebus non naturalibus esse attendendas, scilicet qualitatem & quantitatem debitam tempus uero & substantiam & modum offerendorum reducit ad prædicta duo quia tempus in medicina nihil facit nisi ut ab eo tanquam à signo, exhibeamus debitam qualitatem & quantitatem.

¶ Prædicta omnia recitat. G. medicorum dux tertio tecni commento quinto, inquit, est igitur unum quidem ex continente nos ære, alterum uero ex motione & quiete & totius corporis & secundum partem, tertium uero ex somno & uigilijs, & quartum ex his quæ offeruntur, quintũ ex his quæ egeruntur & retinentur, sextum ex animæ passionibus &c. Gal.

¶ Prædictas etiam sex res numerat Princeps Auic. secunda primi summa prima cap. de causis in fine. Auic.

¶ Regimen aeris.

CVra igitur uulnerum capitis per dietam incipienda est ab aere sicut prior est posita in ordine ab Haly. & ab alijs: & dico aerẽ esse eligendum calidum, siue sit calidus ex se siue per accidens quia omne frigidum est summe nociuum membris capitis teste Auic. cap. de fractura cranei qui inquit.

Nocumẽta frigidi.

¶ Et stude ne frigus accidat uelamini & etiam alibi in eodem capitulo dicit in omni dispositione oportet ut uehementer caueatur frigus etiam in æstate quoniam est in eo timor magnus, frigiditas namq; aeris potest causare apoplexiam & multa alia sæuissima accidentia de quibus aliquid meminimus supra locis suis & etiam causabit apostema calidum siue per se, siue per accidens quia mordicando ponit humores in motu qui fluentes in capite faciunt apostema.

¶ Vlceribus enim frigidum mordax inquit Hippo. & G. ibidem sensum horrete sua contraria monstrat, & ubi sunt ulcera per cutis absentiam de facili frigiditas penetrat ad sensuum membra & mordet & ita fit humorum agitatio & tandem ut supra apostema causatur, & fiunt rigores spasmi tetani & febres.

¶ Inimicatur enim frigus nerueis membris teste Hippo. Aphor. quarta. Aphor. xviij. inquit, frigidum uero neruis inimicum ossibus dentibus cerebro & spinali medullæ, calidum uero utile & amicum.

¶ Et inter alia nocumenta prædictorum membrorum: quia exanguia & frigida naturaliter sunt calorem suum naturalem suffocat exterminat & extinguit.

De frigido actu & non potentia.

¶ Et tu lector per frigidum nociuum ulceribus, uulneribus & prædictis membris intelligas frigidũ actu non autem potentia, in potentia enim frigida quia sibi similia amica sunt: complexio enim capitis frigida est.

¶ Et quia sæpissime in prædictis membris ulceratis est lapsus ad calidum conuenit frigida medicina ut naturalem conseruet complexionem & frigida ut lapsum contemperet uel remoueat sed actu sit calida calidior tamen & remissior temporis mensurata qualitate.

¶ Quod à frigido causetur apostema calidũ testis est Rasis. xv. continentis authoritate Pauli, dixit, accidit apostema calidum panniculo grosso aut ex ossæ acuto pungente aut exponderositate pannorum & ligatura, quæ sunt ei, aut ex frigore affigente, aut eo quòd nõ attenuatur regimen unde superabundat nutrimentum & quòd potus uini fiat superabundans &c.

¶ Eandem sententiam ponit Haly. nono theoricæ capitulo. lxxxv. qui

inquit hoc autem apostema huic accidit operimento aut frusti alicuius causa ossis quòd ipsum suo pungit acumine aut ligationis & constrictionis ui & lychniorum, quæ apponuntur aut cibi multi copia, aut ex frigore aut ex calore.

Frigiditas & caliditas facit aposte. calidũ.

¶ Prædicta omnia etiam meminit princeps capitulo præallegato, inquit, & non accidit apostema calidũ siphac nisi aut propter os eminens sub eo aut propter grauitatem tentarum aut propter frigus aut propter multitudinem cibi aut uini aut propter aliam causam occultã, Auic. hic per causam occultam intelligit causam intrinsecam humoralem puta repletionẽ uel forte causam corporalem puta malã complexionẽ, uel forte utrunq;.

¶ Et quamuis dictum sit frigiditatem causare apostema nõ propter hoc debemus uti aliqua re ualde calida quia caliditas excedens etiam calidum inducit apostema teste Haly. ubi supra.

Calida nocent capiti.

¶ Sit ergo aer tepidus ad calidum declinans sicut meminit Rasis ubi supra Pauli authoritate dum inquit & cura fiat celerior in loco tepido ne in frigidetur siphac cerebri &c.

¶ Et caliditas aeris non solum causat apostema pãniculorum & cerebri, sed etiam febrem ephimeram & putridam faciendo humores ebulire & ab eodem fit æstuatio & resolutio uirtutum, quòd considerando Auic. secunda primi capitulo primo inquit aer calidus disoluit & laxat ideo tertio ingenij dicitur considerandus est aer circundans infirmum quoniam affligit corpus medicina.

¶ Debemus ergo uti, aere in uulneribus capitis non frigido ne contingãt prædicta nec multum calido consideratis semper complexione, ætate, regione anni tempore & alijs similibus consideretur etiam si febriat si calidum patiatur apostema & similia quia indigemus alteratione ad contrarium cum omnis cura perficiatur contrario sed sæpe indigemus ære temperato in quantum seruatur complexio si sit æquales.

Aer debet esse temperatus ad calidum tamẽ.

¶ Si uero complexio est inæqualis aer ex parte sui debet esse talis ut sit sufficiens æquare unde inquit Auic. secunda primi capitulo quarto de iudicijs temporum, unumquodq; etiam tempus complexioni ægrotæ conues

niens ipsius contrarium est.

¶ Teste etiam de eodem Gal. ubi supra commento. x. & xi. inquit quando uero distemperatum fuerit continens in tantum & contemperantias minui oportet in quantum & Eucrasia corrupta fuerit, considerationes uero contemperantiæ in continentæ hæc quidem sunt ut neq; rigere per frigus neq; suadere per æstum.

¶ Aduerte lector quòd quamuis sententia. G. immediate adducta sit de sanitate conseruanda potest tamen etiam reduci ad ægritudinem remouendam, quia sicut simile administratum simili debito modo conseruat in suo esse sibi simile sic in remotione contrarij contrarium efficax est, an id fiat formaliter aut effectiue optime determinat Vgo quarta primi & quamuis. G. in prædictis magis exemplificet de aere contemperando secundum eucrasiam mutatam tamen etiam intelligit de alijs sex rebus non naturalibus ut inquit Haly. rodoam prædicta exponens aliter tamen sentit plusquam commentator.

¶ Sed quia prædictam sententiam seu regulam non possumus seruare in uulneribus capitis nec in uulneribus neruosorum membrorũ nec frigidorum ideo tale dictum intelligatur cum cautela quia si ponatur quòd sit uulnus in capite cum febre non debemus uti uno & eodem aere quia stante febre aliqualiter declinabimus à caliditate aeris, sine febre uero aliter & alijs accidentibus respectum habendo: sed nunq̃ concedimus aerem frigidum sicut sit in febribus sine uulnere capitis. Notandum.

¶ Attende tamen quòd stante febre in tempore in quo caput est tectum & bene coopertum est. Eligendus est aer remissior in calido q̃ in tempore in quo medicatur & caput nudum & discoopertum est istam tamen uiam medicandi remitto peritis phisicis, & ideo laudo, ut alias prædixi, quòd chirurgici uocent peritum physicum ut non contingat error qui incorrigibilis est ob causas prænarratas, etiam non stante febre.

¶ Et ubi timetur aeris frigiditas chirurgici experti semper tegunt caput aliquo capitio calido leui ex pelle agnina uel alterius animalis uel aliquo capitio laneo uel stuppa & multis petijs ita ut caput maneat calidum tepidum, & Capitium.

dum, & si conqueratur patiens de nimio calido uel de pauco si esset in bono sensu addant calidum & minuante secundũ narrationẽ ipsius patientis.

¶ Si uero æger esset ut sæpe contingit desipientia inuolutus hoc remittatur existimatiuæ medici, qui aliter procedet in hyeme aliter in æstate aliter in temporibus medijs aliter in capite naturaliter calido & aliter in temperato uel frigido & secundum regionem, etiam uariabit aerem.

¶ Quia regio etiam non parum uariat hanc curam quia aliqua loca sunt in quibus aer est calidior aliqua in quibus frigidior grossior & subtilior quæ omnia diligentissime sunt consideranda.

¶ Nam primo metheororum dicitur triplicem esset aerem cuius pars infima dicitur esse calida & humida non solum essentialiter sed etiam accidentaliter, humidus quidem accidentaliter est aer propter uapores aqueos secum mixtos & etiam humidus quia sic est in sui natura & etiam calidus sed etiam aer redditur calidus per accidens propter uapores & exhalationes ad ipsius inferiorum regionem peruenientes ab aqua & à terra qui quadam caliditate participant agentis ratione à quo producuntur quòd est cœlum. Triplex ẽ aer.

¶ Est etiam calida talis regio propter radios solis à terra & ab aqua ad ipsam reflexos quorum est generare caliditatem.

¶ Superior uero regio calida est & sicca, calida per se & per accidens, sicca uero per accidens tantum & talis redditur ex uicinitate eius ad elementum ignis, etiam ex uicinitate eius ad cœlum à cuius motu circunducitur & in ea caliditas augumentatur & talis regio non est habitabilis.

¶ Media uero regio est frigida & humida partim priuatione causarum alias regiones calidas reddentium ad eam.n. non perueniunt radij solares à terra & ab aqua reflexi sed illic incipit secunda regio ubi finiuntur radij reflexi & ibidem finitur prima regio, est etiam satis remota hæc secunda regio ab elemento ignis & ideo non calefit ab eo, est etiam remota à cœlo quia non mouetur circulariter motum diurnum in sequendo sicut superior facit regio. Causæ mutantes aerem.

¶ Redditur etiam frigida positiuæ à uaporibus aqueis in ea ad eorũ fri-

giditatem reuersis & per antipariſtaſim calorem ſuperiorem & inferiorem dum fugit tanquam ſuum contrarium ipſa frigiditas, & talis media regio ſemper eſt frigida & humida, inferior uero nõ ſemper calida quia hyemali tempore & alys temporibus etiam redditur frigida interdum à cœlo immediate redditur talis, interdum à pluuia à niue à grandine à pruina à glatie & à uentis & à priuatione radiorum ſolarium ſiue ſit ex nubibus ſiue noctis tempore tamen caliditas aliqua eſt in hac inferiori regione magis & minus ſecundum prædicta Seneca tamen in queſtionibus naturalibus aliter ſentit de qualitatibus aeris contra Ar.

quæ ſit regio inferior.

¶ Viſa aeris qualitate ad regionem deueniamus & dico quòd locorũ habitabilium notabilis pars eſt circa inferiorem aeris regionem & iſta regio extendit ſe circa radices montium uel parum ſupra.

¶ Media autem regio eſt pars habitabilis montoſa & alta ac eleuata ſatis ſicut ſunt montes italiæ & ſimiles altitudines.

¶ Alia regio. ſ. tertia eſt ſupra iſtam ad quam etiam attigunt ſumitates aliquorum altiſſimorum montium ad quam ſumitatem Ariſt. xxvi. problematum prob. xxv. dicit uentos non peruenire et etiam Albertus ubi de uentis cuius ſignum eſt quoniam antiqui in ſummitatibus talium montium certo tempore ſacrificabant facientes ignẽ et cineres, anno uero ſequenti prædictos cineres reperiebant in conſimili diſpoſitione ſicut ipſos dimiſerant quòd non contigiſſet ſi uenti uſque ad illum locum aſcendiſſent.

¶ Loca igitur omnia in media regione aeris ſita ſunt frigida & cõſequenter uulneribus capitis ſuſpecta et mala ideo uarianda eſt, cura ex parte regionis quantum ad regimen aeris.

¶ Et talia loca in Italia ſecundum aliquos ſunt ſicut Peruſia, Florentia et tota fere Tuſcia et etruria et alibi in locis montoſis ſimilibus iſtis.

In qua regione ſit Florẽtia & Peruſia.

¶ Tamen credo ego etiam talia loca eſſe in prima aeris regione quia tamen propinqua ſunt mediæ regioni ſapiunt eiuſdem regionis qualitates unde Auer. primo metheororum dicit quod in magnis montibus eſt frigiditas & humiditas propter propinquitatem eorum ad locum frigidum et ita puto eſſe prædicta loca fridiga propter eandem cauſam.

¶ Dicunt etiam aliqui aliqua loca esse mala uul neribus capitis propter subtilitatem aeris loci et dicunt uentos subtiliare aerem resoluendo et exterminando uapores ab aqua eleuatos et ita subtilitas frigiditati mixta nocet quia aer talis magis grosso penetrat, ideo citius imprimit frigiditatem.

¶ Dicunt etiam aerem infrigidari à qualitate uentorum et hoc contingit Bononiæ quæ non est montosa pars quamuis montibus propinqua nec infima est et depressa, tamen habet aerem subtilem & frigidum non quia sit media aeris regio sed à boreali uento per uiam reuerberationis in mõtibus, quibus propinqua est aer efficitur frigidus et subtilis hinc est quòd ibidem capita fracta cum difficultate à tali qualitate tuentur. Venti infrigidant aerem Bononiæ.

¶ Sunt tamen aliqua loca plana etiam montibus propinqua in quibus aer calefit à uento australi ultra uapores à terra eleuatos et ab aqua in eo existentes & talia loca sunt sicut Roma, Pisæ et loca infima australi uento supposita. Romæ est aer calidus à uẽto.

¶ Et ideo sicut recitat mapheus de laude quidam medicus in capite uulneratus fecit se transferre à Florentia ad urbem et ibi sanatus est, Florentiæ certe est aer subtilis et frigidus quia est in montibus ubi uẽti subtiliant aerem et est frigidus propter rationẽ prædictam tamen interdum ibi flant uenti australes qui calefaciunt interdum aerem, sed borales ibi minime possunt nisi ualde à longo alte supra apenninum: sufflando qui etiam frigiditatem inducunt.

¶ Tamen comparando aerem Florentiæ ad Bononiensem dico frigidiorem esse Bononiæ, cuius signum est quòd longe citius maturescunt fructus et semina et omnia olera prius habẽtur Florẽtiæ q̃ Bononiæ, sed aliq dicũt hoc esse quia Florẽtia est magis propinqua æquatori et citius ad illã regionem uenit caliditas solaris ideo citius ibi maturescunt fructus et alia.

¶ Sed sunt aliqua loca quæ sunt media in quibus aer est medio modo nisi per accidens calefiat uel frigefiat sicut fit Romæ et Bononiæ in quibus deberet esse aer temperatus: quia sunt inter infimã et mediam regionem.

¶ Loca uero calida sunt loca infima et uallosa sicut Ferraria Venetiæ Rauẽna et similia loca, in quibus debet esse aer calidus nisi mutetur ab ali Venetiis & Ferrarie est aer cal.

quo accidente de dictis & dicendis hæc eadem comparatio aeris potest fieri respectu cuiuscunq; alterius loci ad locum cæteris paribus in qualibet regione, quælibet enim regio quanto magis meridionalis calidior est quanto uero magis septentrionalis frigidior est unde in Germania magis q̃ in Italia aer est grossior propter frigiditatem cuius effectus est ingrossare hinc est quòd ibidem rarius moriuntur in capite uulnerati q̃ in Italia quãuis forte hoc etiam contingat robustæ & fortis uirtutis causa Gal. enim .x. ingenij capitulo quarto inquit fortis uirtus cõtemnit. Et sustinet omnia imbecilis uero succumbit.

¶ Medici ergo sint diligentes in consideranda regione & contemperent aerem quia meum non est hic particulariter loca describere.

¶ Hoc unum sit quòd loca uallosa & plana sunt calida & montosa, alta, sunt frigida nisi à uentis mutetur sua qualitas ut prætactum est & media medio modo.

Qualis aer sit ĩ loco saxoso.

¶ Dicunt aliqui omnia loca saxosa esse ualde frigida tempore frigido & calida ualde tempore calido propter subiectum densum quid sit per te cõsidera quia hoc facile soluitur.

¶ Possunt tamen aliqua loca esse frigida & calida à natura particulari loci puta quòd sint ibi thermæ & mineræ quæ qualificant aerem prout sunt hermæ & mineræ quia aliquæ sunt ferreæ aliquæ æneæ, aliquæ nitrosæ, aliquæ sulphuræ, aliquæ aluminosæ & alterius generis prout constat in natura & sic ab eis alteratur aer, uel forte cœlum in aliquo loco particulari mediante aliquo sydere fixo influit aliquam qualitatem, quæ non est à causis prædictis.

Minuere mutãt aerẽ & cœli qualitas occulta.

¶ Quod aer mutetur à prænarratis causis testis est Ioãnitius inquit aeris mutatio fit quinq; modis. s. temporum mutatione, ortu stellarum & occasu, uentorum impetu, terrarum situ, ac fumositatibus uaporosis.

Tempus anni mutat aerẽ et hora diei.

¶ Mutatur etiam aer in sua complexione per anni tempora aer enim ueris ponitur à. G. & à sequacibus esse temperatæ complexionis, ab Arist. & à multis philosophis calidæ & humidæ, Aestatis uero calidæ & siccæ, Autumni frigidæ & siccæ Hyemis frigidæ & humidæ.

¶ Mutatur etiam aeris complexio à partibus diei & hoc est uirtute solis unde Haly. quinto Theor. capitulo tertio in fine inquit & sciendũ quomã inter diei & anni tempora est proportio quædã & similitudo, diei etenim principium simile est matutino tempore æstas meridiei & confinibus, Autumnus ultimo eius, uespere scilicet & nocti hyems &c.

¶ Experientiæ loci ergo est standum, habeat igitur medici pro indigentia Aegri in locis frigidis cameras calidas bene clausas & angustas quia ubi aer est minor est calidior teste. Aristo. xxv. problem. problemate. xviij. inquit propter quid est quòd aer minor, calidior est pluri, coangustationes autem calidiores aut quia mouentur magis, multus motus autem facit frigidum, signum autem hoc quia mota infrigidantur calida, ex isto problemate fortificantur rationes è me adductæ superius quare Florentiæ sit aer frigidus & etiam quare Bononiæ hoc est propter aerem motum à uentis addita qualitate uenti.

Est stãdũ experientiæ loci pro aere.

Motus causat frigiditatem.

¶ Hic esset mouenda quæstio in dictis Arist. quia dicit ibi motum causare frigiditatem, alibi uero dicit motum causare caliditatem: sed quia hæc quæstio clarificata est in scientijs physicis ad illas recurrendum est, ne tædio afficiantur chirurgici, multa enim diximus contra eorum propositũ, quæ magis honesti sunt ocij causa q̃ ad chirurgicos spectantia.

¶ Et tales cameræ in quacunq; regione eligantur in loco infimo & depressio quia alta loca supposita sunt uentis & euentationibus & ubi causatur frigiditas teste. Arist. ibidem problem. xxi. inquit propter quid multis domorum aer euentatur &c.

Vbi sit locandus æger in domo.

¶ Tempore etiam frigido teneantur cameræ calidæ cum igne & nõ sit ignis carbonum certi inquit Nicolus, sed ego dico quòd talis ignis debet esse ex ligno dulci bene digesto à quo non eleuetur aliquis malus fumus, quia uidi ego pluries carbones in locis clausis inducere stuporem & sæua accidentia & interdum mortem & semper tenendo aliquid ferri uel uitri supra prædictas prunas quia à prædictis fit purificatio mali uaporis uitentur etiam omnia sternutamentum inducentia.

Fugiatur fumus.

¶ Tempore uero quo medicatur æger teneatur aliqua portio ignis non

multum distans à membro læso.

Multa lumina in actu medendi conferunt.

¶ Et inter alia sint quatuor uel quinq; candelæ notabilis magnitudinis accensæ circa caput quæ suo lumine faciunt medicum uidere forte aliquid occultum puta pilos uel saniem uel fixuram capillarem uel talia & ultra hoc calefaciunt aerem.

Panni linei.

¶ Et ego inter alia in actu medicandi utor uulnere existente detecto tribus uel quatuor pannis lineis mediocriter grossis & albis calefactis supra caput ponendo modo unum modo aliud dum opere manus mundatur uulnus & medicatur quia à tali actuali caliditate multum iuuantur ægri calidum enim actu digerit & calorem naturalem conseruat & confortat.

Conditio caliditatis.

¶ Et ista caliditas sit conditionata complexioni & tempori, Aetati, regioni & similibus consideratis etiam accidentibus puta febre apostemate & alys uenire solitis & considerata causa talium accidentium quia forte caliditas augeret prædicta.

Aer non sit fetidus.

¶ Et non solum debet esse conditionatus aer in caliditate ut prætactum est, sed etiam debet esse purus ab omni fetore & malo uapore quia posset sic conditionatus esse interitus causa, unde Auic. secunda primi capitulo quinto inquit aer bonæ substantiæ est cui non admiscetur ex uaporibus neq; ex fumis res extranea, sed debet esse boni odoris & suauis quamuis dicant aliqui quòd aromatica repleant caput.

¶ Credo ego factis uniuersalibus & bene mundato corpore & transacta suspitione de apostemate aromatica temperata conferre in cura uulnerum capitis & quocunq; tempore stante debilitate uirtutis factæ à resolutione spirituum quia indigemus instauratione tunc.

Vinum reficit corpus ato.

¶ Et est præceptum Hippo. & Gal. quòd cum uolumus citissime uirtuti succurrere succurratur cum aliquo subtili boni & multi nutrimenti & hæc ab Auicenna quarta primi de ordine cibādi, & in capitulo de his quæ prouenunt ex eis quæ bibuntur & comeduntur ponuntur esse uinum & aqua, carnis et oua sorbilia. Cum autem citiori tempore uolumus hoc facere per odorationem fit quia subito restaurantur et generantur spiritus ex aere.

¶Et aer boni odoris plus nutrit q̃ aer purus, unde Auic. de medicinis cordis dicit duarum medicinarum æqualium in uirtute dulcior, idest melior est aromatica unde idem docens succurrere syncopi laboretur inquit cum eo quòd nutrit spiritum ex odoribus bonis nisi in syncopi in præfocatione matricis facta, quia uirtus membrorum attractiua ipsam recipit fortius et spiritus inde celerius nutritur si potentiam habeat nutriendi et ab ea celerius patitur inquantum est medicina. Citissime refiat spūs aer.

¶Et inter alios odores mihi placet aqua rosata cum gariophyllis ligno Aloe, rosis sandalis et parum ambræ super aspersis istis alicui laminæ ferreæ ignitæ leuiter in camera clausa uel quòd buliant in aqua et hæc aromatica et alia multa dantur à doctoribus et ita plures modi odorum qui administrantur prout requirit dispositio modo cum calidis modo cum frigidis, modo cum mistis prout uidetur medico experto dum modo aer tendat ad siccum, omnia enim uulnera et ulcera in quantum talia sunt indigent exiccatione quadam et maxime in capite quia in ulceribus et uulneribus à contusione factis utimur mollificantibus et putrefacientibus et tali modo procedere in capite est periculosum, procedatur ergo cum exiccantibus et acute, ita ergo aer tendat ad siccum in uulneribus capitis. Odores ex q̃bus. Sicæ conferūt ulceribus.

¶Et inter omnes res ego laudo quòd ponatur in camera panis notabilis quātitas à furno nouiter cocti quia calefacit aerē et mirabiliter confortat sicut recitatur de historia democriti q uixit p certos dies solo panis odore.

¶Et quòd odores nutriant et possint nutrire hoc fulcitur ratione quia omne mixtum est nutrire aptū excepto ueneno maxime corrosiuo et putrefactiuo ut est sublimatum et arsenicum et multa alia uenena omissa historia de puella ueneno nutrita, hæc de aere sufficere uolo omnia remittens prudenti et legitimo medico. Quale mixtum nutria.

¶Regimen motus et quietis.

CIrca motum et quietem sint prudentes ægri; motus enim corpora debilia turbat et fatigat et mouet humores qui de facili possunt currere ad locum debilem et causare apostema et alia mala accidentia.

¶ Vnde Nicolus authoritate authoris compendij inquit quietū esse infirmum præcipe & inquit ægrum non debere se frequenter de latere in latus reuoluere nec se de loco ad locum præcipitare, & iaceat patiens super latere læso quia inde melius uulnus expurgatur nisi aliquid impediat.

Motus facit currere humores.

¶ Et inter omnia caueat à motu capitis hinc & inde & à motu membrorum superiorum quia per ipsum materiæ fit ad caput attractio, motus uero & fricatio inferiorum membrorum diuertit à capite & ego utor continue talibus fricationibus & applicatione uentosarum circa nares usq; ad securitatē apostematis sine sacrificatione, hæc sint de motu & quiete satis.

¶ Regimen cibi & potus.

Causæ uariātes.
Cibum.

AD narrationem ciborum & potuum transeundum putaui quæ strictiori aliquo modo dicta potest appellari & dico prædictis dispositionibus læsos dietari seu cibari & potari debere secundum naturam læsionis & secundum uirtutem & secundum accidentia & adhibeatur cura ætati consuetudini & complexioni & tempori anni & tempori ægritudinis & regioni & his similibus.

¶ A natura læsionis incipiendo dico in qualibet capitis læsione de dictis & dicendis dietam debere subtiliari & in quanto & in quali & hoc ne expletoria accidant apostemata febres & alia accidentia solita euenire in similibus quia si natura nō sit occupata in cibo digerendo regulabit alia superflua si qua sint, quia quāuis solutio continui sit ægritudo immaterialis componitur tamē sæpe cū materiali: & ita æger euitabit naufragia & euadet.

¶ Et quia læsiones diuersorū sunt modorum magnæ, paruæ mediocres, minimæ & maiores ita uarianda est dieta semper ad subtilitatem declinās usq; quo medicus cognoscat securitatem accidentium & ut prædixi non audeo ego dilatere habenas ægris meis stantibus etiam bonis indicijs nisi transacta illa notabili. xx. & xxi. die q̄ diu obseruaui & multoties uidi circa talem diem portenta apparere & si ægris meis aliquid concedo hoc facio cū protestatione & prognostico dubio & sic facientes nō sunt nisi laudādi.

Non ingrossetur dieta nisi post. xx. diem.

¶ Memorentur

¶ Memorentur medici de aurato illo. G. uerbo prima Aphor. super illo uerbo tempus acutum. i. timorosum. non enim medicus est carpentarius, sed operatur in humano corpore nec operatur in lapide nec ī corio in quibus artificialiter laboramus nulla corruptio ferè subsequitur, si in eis facta non bene successerunt artificia sed si hoc contingat in homine, subiectum destruitur nec unq̄ potest refici dixit præterea iudicium difficile, ex quo infero medicum dictare ægros suos taliter quod uideatur iudiciū habuisse & quòd nō moriantur ægri ex grossa dieta quia neminē ægrum uidi ego de similibus fame & esuritione mori, habeat ergo medicus uirgā serpente inuolutam manu. i. sceptrum & uerum dominium super ægros cum prudentia & non errabit & saluabit se & alios.

Nullus uulneratus moritur fame.

¶ Et consideranda est inter omnia uirtus quæ cōseruatione indiget sine qua nulla prosunt suffragia si uirtus est fortis dicta non est latior danda quam requirat dispositio, quilibet enim dispositio cū cranei læsione est uenda per prænarrata tanto magis si læsio sit infra craneum subtilietur ergo regimen cauendo à uino & à carnibus & ab omnibus calidis cibis quia ut prætactum est de mente Pauli & Haly. & Auicennæ, cibus multus uel uinum sunt causa apostematis calidi, transeant igitur. xx. dies cum subtili dieta propter ea quæ supra narrata sunt.

¶ Et inter omnia memoretur medicus de canonibus cibationis febricitantium primæ quarti principis Auic. quia raro sunt tales læsiones sine febre & canonum eiusdem tertia primi de regimine eius quod comeditur & bibitur & ita regulariter dietabitur quilibet.

De nō cibandi obseruetur Auic.

¶ Debent igitur esse cibi paucæ quantitatis et pauci nutrimenti et facilis digestionis nec debent esse ex euaporati uis ad caput ut illud repleant et sint paucarum superfluitatum et sint repressiui uaporum et infrigidatiui et humectatiui et extinctiui caliditatis extraneæ.

Quales cibi.

¶ Et corobcrat prædictas authoritates Pauli Haly. et Auic. dictum Albuc. inquit caueat sibi à repletione et uino et cibis grossis.

¶ Sunt tamen aliqui qui hodiernis tēporibus in toto curæ processu dant uinum non solum in uulneratis in capite sed in pectore & in uulneribus

Contra dātes uinum.

omnium membrorum tam neruosorum q̃ carniformium quam sectã debent omnes tanquam ueneficam abhorrere & fugere & si bene aliqui sanantur dicendum est sicut inquit Auic. de Rasi, qui errore ducti sanant nec propter hoc sequendus est talis modus.

¶ Non reperio ego rationem nec authoritatem hoc concedere nisi in uno casu. s. stante uirtutis debilitate maxime per uiam resolutionis cum uinum sit uelocissimæ penetrationis teste Auic. quarta primi capitulo primo teste etiam Gal. secunda Aphor. commento. xviij. inquit omniũ autem celeriter & subito nutrientiũ est uinum & cũ uirtuti intendimus succurre hoc potest in prædicto casu cũ uino fieri teste Aui. eodẽ capitulo inquit & nobis quidẽ est necessarium nutriens quod cito penetret cũ casui uirtutis animalis uolumus succurrere & eius resolutioni & non potest stomachus & uirtus tollerare ut nutriens quod tarde digeritur digeratur.

In aliquo casu cõceditur uinũ.

¶ Ista autem uirtutis resolutione fit à qualitate uulneris quia forte dolorosa & à dolore fit spirituum euacuatio & extinctio uel fit à fluxu sanguinis superfluo in quo stat anima unde cecinit poeta purpureã euomuit ille animam cum sanguine multo.

¶ Sed refecta uirtute quæ si cum uino reficiatur statim fiat abstinentia à uino quia uulneribus inimicissimum est & nullus est ex rationalibus medicis qui aliter sentiant.

A Celso concæditur uinum interdum.

¶ Quod autem uinum conueniat in uulneribus in casu prædicto testis est doctissimus Celsus libro quinto cap. de ratione uictus & notis uulnerum curationibusq; eorum, qui inquit multiq; etiam ex profluuio sanguinis inter morientes ante ullam curationem uino reficiendi sunt quod alioquin inimicissimum uulneri est.

¶ Sed moderni audacius utũtur aliquo brodio bono uel caponis uel phasiani uel gallinæ uel aqua carnis cũ margaritis & floribus cordialibus & cum fragmentis de gemmis & restaurant uirtutem cum prædictis & cũ manuschristi perlato uel cum alijs uirtutem restaurare aptis.

¶ Si tamẽ cõtingat dari uinũ detur dilutũ in quo prius fuerit mica panis infusa quæ ptes uaporosas amouerit & ĩ hoc remitto me peritis physicis.

¶ Vinum ego non laudo nisi cum conditione prædicta & tantum quòd uirtus sit refecta & releuata quia est euaporatiuũ ad caput & subito & nocet capiti teste principe tertia pri. capi. de regimine aquæ & uini & Haly. quinto Theor. uini proprium est cerebro & neruis nocere, idem sentiunt multi aly, & etiam non conuenit in febribus uinum & raro sunt capitis uulnera ad intra penetrantia sine febre. Noaumenta uini.

¶ Fugienda est igitur exhibitio, debent igitur læsi in capite ubi imminet periculum usq; ad securitatem apostematis dietari ut supra, & deinceps cibus paulatim augmentari debet in quali & quanto maxime transacta. xx.



¶ Debẽt ergo in primis diebus uitari carnes omnes & oua sorbilia, lac, pisces, & uinum & omnes nuclei fructuum quia replent caput & omnia alia quæ possunt comprehendi ex dictis, unde dicitur primo continentis dixit Oribasius quòd sodam inducẽtia sunt mora Celsi & rubi & poma paradysi & pinus & maiores dactyli eruca siluestris crocus apium cepe porus uinum odoriferum et uuæ in fece uini seruatæ etc. Caput replentia.

¶ Et particularis dieta à Nicolo laudata est mica panis lota et Kist ordei et uti farro et auena et oleribus mollibus ut spinatis, atriplici, blite, lactuca quãuis lactuca ab omnibus non sit approbata quia replet caput, ego tamen ea usus sum in similibus et optime profuit et cucurbitis et in fecũda mensa malis coctis et piris et cytonis et granatis et arãtis similibus. Partiaularis dieta.

¶ Et si esset uentris stipticitas sumant patientes duo uel tria pruna recentia uel sicca cum saccaro uel sine ut liber, in principio mensæ.

¶ Quod si cogerit te aliqua causa ad exhibitionem carni tunc exhibe carnes auicularum bonarum ut pullarum uel pullorum paruorũ uel pullorum perdicum uel phasianorum alteratis tamen bene, contritas potius quàm solidas & melius esset facere contusas carnes cum modico brodij et agreste et similium et potus sit aqua ordei uel sine ordeo cocta cũ saccaro et uinum granatorum secundũ omnem modum exhibitionis et berberorum et iuleb rosatum uel uiolatum et miuam citonicrum et gelaticũ marenatæ uel dia citoitem uel granatinam, idest succum granatorum in

gelu conuersum cũ saccaro & similia his cõueniunt in lasionibus capitis.

¶ Auicenna uero quarta quarti capitulo de cura uulnerum alschigi.i. capitis inquit & oportet ut cibetur habens eam cerebellis gallinarum assatis quantum possibile est.ipsa enim secundum quòd testificantur quidam confortant cerebrum & retinent fluxum sanguinis,licet sit in eis sententia alia & similiter aqua granati muzi, idest uinum talium granatorum una litera dicit licet sit in eis sententia alia,alia litera dicit summa alia.i. licet sit in cura fluxus sanguinis alia uia curandi sic exponit Dinus,aliter Nicolus uide utrunq; quia parum refert sic uel aliter esse.

Laudantur cerebella gallinarum.

¶ Rasis etiam. xv. continentis cap. iij. in fine authoritate oribasii inquit dico conferunt huic cerebella gallinarum data ei in potu affluenter & in eodem capitulo circa medium authoritate Pauli inquit in memoriali,scilicet in libro sic nominato percussio si accidit super caput & exinde emittitur de cerebro sanguis dandum est ei de ceruicibus in potu,idest de cerebellis gallinarum assis in cibo toto posse frequenter etiã de aqua granatorum muzorum.

Aliqui dant grossam dietã pro oros bot.

¶ Sunt multi moderni qui transacta suspitione de apostemate & accidentium prædictorum utuntur dieta grossa & uiscosa ut fiat citius oros bot & durius & talia cibaria sunt expeditibus & ex extremis uituli,hedi & agni & dant intestina prædictorum animalium & triticum coctum & similia his.

¶ Sed quia inter omnes medicinæ partes, hæc pars quæ dieta appellatur indiget clarissimo authore teste Celso in principio sui libri qui inquit ea autem quæ uictu morbos curat longe clarissimos authores habet qui altius quædam agitare conati rerum quoq; & naturæ sibi cognitionem uendicauerunt tanquam sine ea trunca & debilis medicina esset ideo rogo huius artis operatores ut fidum ac peritum uocent phisicum ut pluries prætactum est cui relinquatur sui lucri labor in dietando & pharmacando aliasq; omnes intentiones medicinales simul communicent ut concordes & unanimes sint ad salutem ægrotantium & hæc sufficiant ex parte nutrientium.

¶ Regimen somni & uigiliarum.

Circa somnum et uigiliam contemperent se ægrinam Rasis primo continentis inquit dicitur in libro problematum longæ uigiliæ inducunt sodam quia impediunt digestionem & faciunt ascendere ad caput uapores calidos & longus somnus similiter inducit sodam quia facit digestionem extendere & replet caput humiditate & fugiāt somnum diurnum nisi hoc sit in consuetudine, ut inquit Nicolus aut nisi male de nocte æger dormierit & quieuerit, & non dormiant post cibū nisi trāsactis ad minus duabus horis ut non repleatur caput à uaporibus cibi. Somnus noæt

¶ Attende tamē quòd sæpe in uulneribus capitis dubitatur de subetia, & non est nisi bonum quòd non dimittantur ægri profundari in somno, nisi corpus sit optime mundum, uel ex se prius puta quòd esset paucarum superfluitatum, uel quòd sit ab arte mundum, sed quia nunc temporis maior pars corporum est plena multis & malis humoribus, ideo medicus in hoc sit prudens, sed si corpus sit mundum dico somnum conferre dum modo non superflat. digerit.n. & resoluit superflua, & calor interior redditur fortis, unde expellit saniem & alia nociua, cuius signum est quòd semper omnia uulnera comparando noctem ad diem & somnum ad uigiliam emittunt maiorem saniei quantitatem & meliorem in nocte & in somno q̄ in uigilia & in die. Somnus confortet.

¶ Si uero medicus uideret principium subetiæ nullo pacto sinat eum dormire nisi bibulos somni, sed ligaturis dolorosis & depilationibus & clamoribus & alys remedys solitis insubetia fieri euigiletur æger quia si dimittatur in somno profundari & quòd causa sit fortis replebitur caput & apostemabitur & succedet suffocatio cæterum relinquo medico prudenti pro cura subetiæ.

¶ Regimen inanitionis & repletionis.

Via sub consideratione euacuationum & constipationum continetur balneū, coitus, urina, sudor, egestio, emunctio & similes euacuationes, de eis dicamus & dicimus balneum conferre in læsionibus capi- De balneo.

tis pluries diuertendi causa. Aqua.n.pura calida pungens extremis applicita diuertit à capite humores & si adesset sarra & nimia uigilia somnum inducit diuertendo & euacuando aliquos uapores à corpore qui uigiliarum causa sunt.

¶ Vel fiat decoctio in aqua pura ex corticibus papaueris albi & ex uiolis & floribus camomillæ & ex folijs uitis & ex frondibus cannæ quia hoc balneum extremis adhibitum inducit somnum, cōfert etiam hoc balneum ad resoluenda apostemata cerebri & communiter practicantes cum intendūt resolutionem apostematis uel alterius materiæ in capite à qua ueniat dubium de apostemate, faciunt balneum prædictum uel aliud addendo & minuendo pro ut intendunt & arietis uel agni pulmonem secum buliunt deinde uel embrocando uel fomentando cum pulmone caput uel cum spongijs uel alio ingenio procedunt, & isto modo dicimus balneum conferre læsionibus capitis quamuis forte talia etiam pertineant ad instrumentum potionis, hic tamen inserta sunt ut de balneo aliquid dictum sit quamuis raro fiant talia.

¶ De Coitu.

Sperma est superfluitas secūda utilis.

QVamuis de coitu hoc est de spermatis emissione magis spectaret ad partem potionis q̄ regiminis cum proprie sperma non sit superfluitas sicut sudor, urina, egestio & similia quia est superfluitas utilis non prima superfluitas sicut phlegma quod est primi alimenti utilis superfluitas sed secūda cum sperma dicatur esse ultimi alimenti superfluitas utilis.

¶ Tamen ut Haly. ordo seruetur, hic de spermate seu de coitu inserendus est sermo cui toto posse adhibeant diligentiam medici ne in eo contingat error quia nullus est adeo prudens & continens præstita commoditate qui medicinæ eo in negocio seruet mandata.

¶ Dico igitur coitum summe læsionibus capitis nocere prædictis quia inter alia membra cerebro nocet & neruis & oculis immo teste Hippo. à ue

nis circa aures mediante cerebro uemt sperma, tamen oppositum tenent aliqui & de hoc alibi dicetur.

¶ Coitus enim humores bulientes reddit & currentes, uirtutem prosternit suffocat & debilitat, stomacho præcæteris nocet cuius communitate læditur caput corpus totum reddit frigidum debile & exangue, unde princeps.xx.tertij capitulo.xi.inquit coitus euacuat de substantia cibi postremi quare debilitatem affert cuius simile aliæ non afferunt euacuationes euacuat de substantia spiritus rem plurimam propter delectationam & propter illud qui plus delectantur plus sunt cadentes in debilitatem inquit etiam quòd resoluit calorem innatum & mortificat uirtutem si superfluat & debilitat auditum & uisum, & facit tremorem in cruribus, & dolorem, & inducit febres acutas, & tremorem, & neruorum debilitatem, & uigilias, & epilepsiam, & dolorem renum dorsi, & uescicæ, & colicam. Nocumenta coitus.

¶ Tamen in aliquibus casibus conceditur coitus, super hoc uide conciliatorem inter alios differentia.clxxxvi.&.cxxviiij.quia omnia dicit iuuamenta & nocumenta aperitis notata tamen dico coitum in læsionibus capitis summe nocere: quia agitantur humores & ponuntur in motu ad superiora & possunt causare apostema.

¶ Quod considerans Arist. quarta problematum primo prob. dixit propter quid coiens & moriens sursum ducit oculos dormiens autem deorsum aut quia sursum calidum egrediens sursum uertit, ut quo mouetur &c.

¶ Est etiam coitus nociuus quia debilitat uirtutem quæ debilitas non conuenit alicui ægritudini in cura ideo dixit idem problemate sexto propter quid exoluitur maxime animalium coiens homo &c.

¶ Eandem sententiam ponit.xxi.problemate ibidem inquit propter quid coeuntes exoluuntur & infirmiores fiunt ut frequenter &c.& quamuis dicatur ab aliquibus quòd coitus infrigidat quod uerũ est non propter hoc est quin calefiat totum corpus in actu illo à quo calore summe læditur caput per rationes pluries dictas sed corpus redditur frigidũ post actũ coi-

tus maxime si superfluat.

¶ Sint ergo medici prudentes in obstando causis coitus custodiantur ergo bene ægri die noctuq; à tali actu & hæc de coitu dicta sint.

¶ De superfluitatibus primæ & secundæ digestionis.

Ad minus semel habeatur uentris beneficium.

TOtis etiã uiribus conetur medicus extrahere superfluitates primæ & secundæ digestionis à languenti corpore si natura ex se non facit et circa egestiones ad minus semel singulo die faciat clysterem lenitiuum uel suppositorium ex melle uel lardo uel raphani radice uel stipite caulis uel aliquo simili & urinam prouocet si potest uerbis stimulando ægrum ut ipse exoneret uescicam quia interdum nõ possunt mingere quia loca illa sunt mollificata uel spasmata uel quòd subetici & somnolenti sunt & non memorantur mingere nec potest ita faciliter retentioni urinæ medicus succurrere sicut egestioni propter causas notas medico perito ideo confricentur loca pectinis & fomentetur locus cum confortantibus & mollificantibus & resoluentibus pro ut est causa quærens curam.

Modus prouocandi urinam.

¶ Et ualet à proprietate oleum scorpionum circa pectinem & fomentatio ex paritaria butyro & prædicto oleo uel ponatur aliquid in capite uirgæ quòd stimulet naturam sicut pædiculus et finaliter currat medicus ad canones de difficultate emissionis urinæ.

¶ De sputo et mucositate narium.

NEc est inconueniens quòd patiens iuxta posse emittat superfluitatem sputi quia exonerat caput ab eo et expurget etiam sibi nares à mucositatibus cum leuitate tamen in principio usq; ad securitatem apostematis et si aliquod os esset pungens et grauans nullo pacto utatur naso in motu aeris nisi inspirando et expirãdo et hæc causa est sita à quocunq;, sed in declinatione ego laudo sufflationem cum naso fortiorem non multum fortem tamen ne aperirentur aliquæ uenulæ in capite nam

Quãdo confert nariũ sufflatio

te nam temperata ex sufflatio narium expellit de sub osse saniem si qua est & talis operatio fiat dum medicatur æger ut medicus cognoscat si sic agere iuuatiuum uel nociuum sit.

De superfluitate oculorum & aurium.

DE superfluitatibus oculorum & aurium quia non subiciuntur uoluntati sermonem claudo unum dico tamen quòd si à casu natura tentaret expellere aliquid nociui per aures puta saniem uel aquositatem medicus debet iuuare abstergendo & lauando cum appropriatis & etiam medicinas attractiuas applicando.

Et quia interdum accidunt lachrymæ inuoluntariæ dico etiam medicũ non debere impedire naturam stante pletoria sicut faciunt astantes lauando oculos cum stipiticis puta cum aqua rosata & similibus: sed laudarem ego fomentationem cum aliquo leui calido puta cum aqua calida pura quæ attractionem iuuat.

Non constringuntur lachrymæ nec auriũ excrementa.

De sudore.

QVia etiam sæpe uel cretice uel sintomatice natura expellit sudorem dico naturam non debere impediri stante pletorica, sed bene dico sæpe sudorem procedere à loco nimis calido & tunc medicus debet aduertere uirtuti & ægritudini an sit corpus plenum uel non, forte uel debile & sudori uel eius cause succurrere.

De Vomitu.

A Vomitu debet cauere totis uiribus quia est contra aphor. quæ ducere oportet &c. hæc certe non est conueniens regio etiam si sit solitus habere Vomitum singulis diebus ut habent multi: quiescat igitur ab eo patiens usq; dum sanus efficitur.

¶ De emunctione lactis.

QVia etiam sæpe contingunt læsiones capitis mulieribus lactantibus hic gratia mulierum de eis aliquid dicamus. Et dico mulierem non debere lactari seu emungi aliquo modo usq; ad securitatem apostematis: quia emunctio illa euacuat uenas mamillarum: & ne detur uacuum à uenis mamillas nutrientibus fluit aliunde in eis sanguis & quamuis per mirach ascendendant uenæ ad mamillas sanguinem illis à matrice defferentes à quo fit lac tamen etiam à superioribus uenis circa costas superiores pectoris ueniunt uenæ ad coquendum sanguinem conuertendum in lac, qui sanguis est calidus longe plus sanguine inferiori & illæ uenæ etiam ne detur uacuum tam superiores q̃ inferiores trahunt à sibi uicinis uenis & ita ponunt humores in motu tam superiores q̃ inferiores quia ergo uenæ prædictæ superiores sunt propinquæ uenis guiden & uenis profundis uenæ apoplecticæ siue uenæ somni nominatæ ideo possunt caput replere & capitis sanguinẽ ad motum ducere quia guiden uenæ & apoplecticæ sunt uenæ à quibus omnes capitis uenæ ortũ habent ideo mulieres usq; ad prætactum tempus quiescant ab emunctione.

Nota quomodo emunctio ponit humores in motu.

¶ Verum est quòd facta euacuatione cum phlebotomia & uentris solutione pro ut requiritur. Emunctio tutius potest fieri per hoc tamen non stat quin ponantur humores in motu cautius ergo est ut transeant. xx. dies prætacti sed ad minus transeat quarta decima antequam fiat emunctio, fiant igitur euacuationes alia uia & modo q̃ cum lactæ hoc de inanitione & repletione sufficere uolo.

¶ Regimen animi passionum.

AD animi affectus quæ est ultima res ex sex non naturalibus deuemendum inquit Nicolus ut percipiatur patienti iram ac odium fugere non minus timorem tristitiam ac furorem & gestibilium cura à se penitus expellere quia hæc omnia ponunt humores in

Animi cura mouet humores.

motu à quo fiunt prætacta mala accidẽtia, immo pro posse gaudeat & lætetur, omnem q; animi delitiam & lætitiam quærat, fugiat tamẽ iocos, cantus & omnia humores mouere apta.

¶ Loca clausa & obscura sint ne distrahatur animus à lumine & caueat à locutione quia de magis trahentibus materiam ad caput est locutio plurima ut inquit Auic. tertia quarti in cura scrophularum locutio autem sit pauca & remissa.

¶ Caueat etiam ab omni strepitu & murmure quia ab istis mouentur etiam humores, caueat & à quacunq; re horrorem inducente quia ab eo tristatur mens teste Arist. vy. proble. prob. vi. inquit propter quid si cum inciditur uiderimus aliquem aut cũ aduritur aut cum cõtunditur aut cum patitur aliquid periculorum condolemus mente.

¶ Caueant ergo astantes loqui de omnibus contentis in prædicto problemate, caueant etiam à quacunq; re stridorem inducente quia horror inducitur, & agitantur humores, quia non solum fit passio animi per uisum sed per auditum teste eodem problemate octauo, inquit propter quid tristium quæ sunt per auditum quædam horrescere nos faciunt ut serra cum acuitur & pumex cum inciditur & lapis cum mollitur, caueant igitur astantes à prædictis quia non solum ægri læduntur talia uidendo sed etiam audiendo.

¶ Et inter omnia infirmus confidat de medico quia ægri confidentia multotiens sanat, inquit commentator, de quo habetur fiducia quòd ipse est potens scire naturam ægritudinis, est fiducia etiam infirmorum causa committendi se magis in eo, & de quo confidunt infirmi & in cuius manibus se committunt, talis plus sanat ægritudines ideo dixit. G. plures sanat illa de quo plures confidunt. Confidentia ægri q̃d agat.

¶ Vnde Auic. inquit actionem à confidentia dependentem efficaciorem fore q̃ id quod agit medicus medicinis suis.

¶ Inquit etiam quòd sunt quædam animæ tam grandium & mirabilium operationum ut non modo operentur in corpore proprio uerum etiam in alieno absq; medio, quale est opus fascinantis oculi. Opinio Auic.

¶ Sed re uera dicunt aliqui istam confidentiam dependere ab imaginatiua forti quæ à cœlo mouetur, nõ enim omnis imaginatio facit casum, sed illa quæ à cœlo mouetur, & tunc causa causæ erit causa causati, ut recitat Albertus in libro de mineralibus ubi quærit causas imaginum in lapidibus.

¶ Quidquid sit credo ego confidentiam ægri conferre in cura ægritudinis attento quod pluries hoc mihi contigit quòd uisitans ægros nihil pœnitus mutaui de aliorum remedys quamuis mutare finxerim & statim in melius se habuit res, uidi hoc idem contingere multis alys medicis, unde inquit conciliator uidemus non raro infirmos in grandem cõualescentiam deduci propter spem famosi medici & diu affectati in tantum quod magis uisum est non raro operari.

¶ Vult tamen ipse quòd diuersimode confidentia conferat multas ponendo differentias tamen inter cæteras uult quòd secundum uel intellectum uel imaginationem seu quacunq; uirtute interiori sensibili fuerit speties confidentiæ recepta comparatione illius quod actualius operatur exterius conferat.

¶ Inquit quò confidentia in intellectu fundata minus confert ad salutem q̃ in imaginatione situata & adhuc in hac minus ualde q̃ in re extra quia quod magis imprimit est quod sensu comprehenditur particulari.

¶ Dicamus igitur confidentiam conferre & maxime cum uideamus in dies in fide Christi tot languentes sanari et ideo Apostolus dixit fides tua te saluum fecit.

¶ Et quòd confidentia infirmi conferat ad salutem monstratur quia corpus patitur ab anima nam Arist. in physionomia inquit quòd animæ sequuntur corpora. sunt enim passibiles à motibus & impressionibus corporeis sicut apparet in ægritudinibus, sic & econuerso corpus patitur ab anima puta in timore & in lætitia unde. G. in de motibus liquidis inquit quod corporis immutatio imitatur animæ mutationem non in motibus tantum sed alteratione coloris.

Aristoteles.

¶ Et ita si præcantationes curent hoc solum est per confidentiam, igi-

tur præcantatio erit pars medicinæ cũ reducatur ad animi passiones quæ sunt una ex sex rebus non naturalibus antedictis.

Præcantatio refertur ad medicinam.

¶ Et sic ex prænarratis finem impono instrumento medicinæ .ſ. dietæ pro cura læsionum capitis ad secundam.ſ. ad potionem, siue ad medicinarum exhibitionem transeundo.

¶ De cura fracturæ cranei per potionem.

CVm supra dictum sit secundum instrumentum medicinæ hoc est pharmaciam esse partem curatiuæ medicinæ per nuda pharmaca intrinsecus & extrinsecus passiones sanans teste. G. & hic loci de ea parte sit intentio nostra tractare ad intentum accendendum putaui.

¶ Sed quia, ut inquit Nicolus, tres sectæ reperiuntur de modo curæ læsionum capitis: quæ secta magis approbanda & eligenda sit antequam ad medicinarum descriptionem deueniamus est uidendum.

¶ Prima Secta.

VNa est secta satis antiqua non tamen rationalis sed empitica maximæ inter hæbræos uigens: de quibus multos ego cognoui: cui sectæ etiam adhærent aliqui iuniores, inter quos fuit Vgo Lucanus & Theodoricus, & multi alij ut inquit Nicolus & non diminuti chirurgici: qui fatentur posse curare fracturam cranei cuiuscumq; modi & cum læsione panniculorum et cerebri siue cum uulnere siue cum contusione siue alio modo factam cum pigmentis et potionibus quarum propriætas est mundificare, abstergere resoluere et exiccare et consumere omnem cuiuscunque modi saniem siue materiam salutem impedientem, et non solum in capite sed in spiritualibus & naturalibus membris et fistulas, & omnia mala ulcera prædictis medicinis ebibitis sanare.

Opinio curantium cum potionibus.

¶ Et ego dum essem satis puer hoc uidi.ſ. quendam Iacob hæbræum cui

pater meus erat amicissimus, qui Iacob curauit diuum Herculem Ferrariæ Ducem de pessimo ictu spingardæ ut dicitur in pede & tali pigmento sanauit eum: cum magno premio & honore.

¶ Sanauit & Dominum Magnificum Marcum de pijs Armorum ducem de una fistula in dorso cum prædicta potione.

¶ Sanauit & alium quendam Antonellum Neapolitanum equitum ductorem prædicti Magnifici Domini Marci de ictu balistæ. i. scopleti in dorso cum prædicta potione propter quam potionem exiuit pila plumbea prædicti scopleti a uulnere & talis potio exibat per uulnus taliter quòd petiæ ulceri suprapositæ semper erant coloratæ colore potionis & sic redolebant eiusdem odorem.

¶ Hanc potionem hic Hæbræus faciebat solus in aliqua camera clausus, sed credens ipse me esse de familia præfati Antonelli duxit me secum ad prata & ad agros & ego uidi omnes herbas per eum collectas talem potionem ingredientes, & argutijs cognoui totum negotium, adeo quòd ego pluries tali potione usus sum dũ in minoribus starem: & ita per ignẽ & aquam uidi modum prædictæ sectæ & aliarum etiam sectarum modos, & ita non solum illum hæbræum hoc uidi facere sed multos alios de eius lege sic operari uidi cum modo tali potionum tamen compositio potionum, erat diuersa semper tamen ponendo folium caulis supra ulcera.

¶ Et dicunt ipsi prædictum modum operandi primum fuisse in natura ab eorum sapientibus inuentum & sic suis nugis & offutijs laudant se & eorum sequaces, qui etiam non sunt pauci, nam ut ego percepi à fide dignis maior pars chirurgicorum in germania cum istis potionibus curat uulnera cuiuscunq; partis nec ibidem à principibus nec à uulgo doctis chirurgicis neq; physicis, aliqua in similibus dispositionibus adhibetur fides quòd quidem absurdum horridum ac detestabile est, certe ista secta non debet audiri teste Guidone & si bene cum isto modo aliqui sanantur hoc non est gratia potionis sed hoc est à forti & robusta natura corporum illius regionis, nam sicut dicit Damascenus multi enim experien

tes medicamina arbitrati sunt fieri id à proprietate quòd plerunq; facit natura sic ergo ista secta & aliæ Empiriæ omnes tanquam uenificæ fugiendæ sunt & maxime cum indifferenter ab Empiricis suæ medicinæ administrentur omni complexioni omni ætati omni tempori & omni uirtuti, & certe eorum medicinæ non sunt totaliter renuendæ si per legitimũ administrentur medicum, qui cognoscat medicinæ, & corporum conditiones, ideo semper cum prædictis Empiricis sit ad minus unus peritus & expertus physicus, qui suo temperato afflatu dirigat carinam in portum salutis.

¶ Secunda Secta.

EST etiam alia facta Empirica, quæ tenet læsiones pradictas capitis siue sint cum fractura cutis siue non posse sanari absq; cutis aperitione & ossis aliqua eleuatione solum cum medicinis simplicibus & compositis ab extra capiti applicitis, & harum dicunt esse uirtutem seu proprietatem sufficientem attrahere quod sub craneo collectum est, uel illud resoluere, consumere, & euaporare, uel exiccare, & tandem ossa si qua sint, in loco existere nequeuntia extrahere, & ultimo loco fracturam ossis & cutis consolidare & cicatrizare, & quod hoc possit & debeat fieri rationes eos fauorabiles im medium adducam. Opinio aurantium cum emplastris.

¶ Et prima est hæc quod potest fieri per pauca superfluum est per plura facere & æque bene: sed uti solum medicinis est tale, ergo eis debemus uti quia etiam si amouemus os requiruntur & medicinæ. Prima ratio.

¶ Secunda eorum ratio est, quòd illud debet fieri quod potest sanare, horrorem & alia uirtutem terrentia non inducendo: sed tales sunt medicinæ, ergo eis utendum. ossis enim amotio causat horrorem dolorem & agitationes et punctura et forte rupturam uel saltem compressionem aliquam in panniculis & sanguinis fluxum, & exponit panniculum aeris impressioni calidæ uel frigidæ uel alterius qualitatis curæ cõtrarianti, & cau Secunda ratio

sabit forte apostema & alia mala accidentia, tutius igitur est uti unguentis & emplastris & alijs medicinis q̃ ossis amotione.

¶ Tertia est quòd ad illum modum curæ est recurrẽdum, qui melius removet curam impedientia & prohibentia sed medicinæ sunt tales quia emplastra & unguenta removent sorditiem & uirulentiam omnem q; humiditatem & non minus accidentia curam impedientia caput q; confortant: quod fulcitur authoritate & experientia, authoritate quidem. G. per totũ de simplici, medicina & de ingenio sanitatis & alibi & Auic. in quarto per totum de ulceribus & in tabulis pictis, experientia etiam constat quia in dies mundificamus & exiccamus taliaq; mala cũ eis accidentia sedamus & removemus ac membrum confortamus. ergo medicinis uti est melius.

Tertia ratio.

¶ Quarta est quòd qui intendunt ossis amotionem, illam non intẽdunt nisi ubi est ossis fractura siue magna siue parua sit, ut infra uidebitur; sed nouam fracturam addere fracturæ est malum malo addere, & isto modo nõ sanabitur æger, sed totum fiet oppositum, ergo medicinis uti est melius q̃ ossis eleuatione uel amotione seu incisione.

Quarta ratio.

¶ Quinta est quòd etiam dantur medicinæ exiccatiuæ fortes quæ saniem exiccant in exituris aliorum membrorum quam capitis, quorum cutis non est tantæ raritatis sicut ea quæ capitis ut constat de talibus medicinis. xiij. continentis cap. iiij. factis ex marcasita & aqua gumi arabici & ibi dicitur prædictum unguentum est ad exiccandum saniem de exituris maturis & dissoluendum quod remanebit in eis immaturum & de marcasita. G. recitat se uidisse miranda in apostematibus ac si arte magica fuissent facta & alibi ibidem Rasis inquit dico hoc est medicamen dissoluens saniem, teratur lapis marcasitæ ad modum colyrij deinde distemperetur cum aqua in qua dissolutum sit Galbanum & superponatur quoniam Galbanum per se dissoluit saniem prout dixit bulgeric, etiam lapis marcasitæ idem facit & etiam multa alia ibi habentur à Rasi ergo medicinis est utendum & non ossis amotione.

Quinta ratio.

¶ Sexta est quòd etiam dantur medicinæ attractiuæ fortes quæ non solum possunt saniem extrahere immo spinas tela & ossa, quòd sit uerum

Sexta ratio.

omnes

omnes codices de istis sunt pleni sed inter alias. G. primo de uirtutibus naturalibus cap. xiiy. inquit. ego deniq; uidi quandoq; infixum in pede iuuenis scolpã digitis quidẽ trahentibus nobis uiolenter non consequentem & pharmaco apposito in tristanter & cito aduenientem.

¶ Etiam quarto ingeniy cap. iiy. & xi. eiusdem cap. xv. dicit medicinam trahere sicut uentosa dicit etiam Nicolus authoritate eiusdem. G. in catagenis componi unguentum ad formam basiliconis factum cum molientibus & calidis adiuncto oppoponaco aristologia & modico euphorbiy quod est fortius aliys unguentis attractiuis attrahens ossa fracta & humores grossos ad exterius.

¶ Et Dioscorides ponit betonicam extrahere ossa fracta à capite ad emplastri formam, idem recitat Auic. quinto Canone de emplastro relato ab andromaco, poterit ergo sanies trahi si medicina trahit ut uẽtosa & si trahit spinas & ossa ergo medicinis utendum & non ossis incisione.

¶ Septima est quòd si sanies est sub osse uel ibi est genita uel per poros cranei uel per fixuram defluxa est sed quocunq; modo fuerit natura ab ea grauata & irritata eam expellet & tanto magis à medicinis adiuta quod natura hoc possit facere probat Auic. in capitulo de exituris tertia quarti capitulo. xx. & Gal. in libro de mala complexione diuersa capitulo quarto. & Rasis. xiiy. continẽtis cap. iiiy. quorum uerba formalia supra adduxi, ubi de prognostico locutus sum: qui dicunt quòd natura expellit saniem exituarum in cerebro per nasum & nares siue per palatum, dicit Rasis maxime in parte anteriori capitis & saluantur ægri quòd etiam sanies expellatur per membra solida patet per Gal. quinto interiorum capitulo tertio inquit sed palam uidemus in fractura ossis sanguinẽ ad cutim exire, & ligamentum tingere: qua de re non erit denegandũ ut per subtiles panniculos nequeat penetrare cum cutis sit grossior panniculis ut ibidem parum supra ipse dixit &. viy. Aphor. cõmen. lv. super Aphor. quibuscunq; inter renes & uentrem phlegma, dicit forti naturæ nihil posse repugnare in expellendis licet materia sit grossa & uiæ strictæ sint. uidemus enim quòd materia apostematis cum natura à quibusdam expellat eam locis ossa etiam

Septima ratio

transit, & ex hoc infertur quòd etiam per craneũ sanies potest expelli maxime cum sit rarius cæteris ossibus & tanto plus adiuta natura à medicinis, ergo medicinis utendum & non ossis amotione.

Octaua ratio. ¶ Octaua ratio quæ potest in fauorem adduci prædictæ sectæ est ista, quòd uidetur Rasim. vi. Almansoris cap. xviiij. & in libro diuisionum cap. iij. de læsione capitis tractans de soda à percussione, & Galenum in cura sodæ factæ à percussione secundo memiri cap. vij. & Mesue de eadem soda in suo Grabadin capitulo. xiij. et Haly. quinto practicæ capitulo. x. etiam de cura sodæ à percussione & Serapionem primo breuiarij capitulo. xij. & etiam Auic. in cura prædictæ sodæ prima tertij tractatu secundo cap. xxvi. ubi est uulnus procedere cum medicinis & non cum amotione ossis, & etiam Auic. quarta quarti in capitulo de fractura cranei uidetur uelle concedere, ut inquit Nicolus quòd cum medicinis procedatur & non cum ossis amotione dum inquit in fissuris uero in quibus non est nisi fissura sed est plurima & apparet cum ea illud inter quod & os nõ est nisi cortex multotiens sufficiunt strictura & ligamentũ & emplastrum & infrigidantia, uerum illud quod est rectius est ut incipiatnr & fundatur super fixuram oleũ ro. tepidum, deinde aggregentur inter duas extremitates uulneris, & sufficiat si necessarium est illud & puluerizetur desuper puluis capitalis & ponantur super eas puliulli imbibiti uino stiptico cõcusso cum oleo, deinde reliqua ligamenta & quiescat infirmus, & fiat deliciosus, & fiat ut dormiat & phlebotometur si indiget & prima terty tra. iij. c. xiiij. & ulti. de plaga capitis inquit & principium quidem consistit in emplastris & . rit eius retificatio uelociter, cum igitur tam famosi medici cum medicinis procedant ergo est dicendũ procedi debere cum medicinis & non cũ ossis amotione.

Nona ratio. ¶ Nona ratio eorũ dicta corroborans est ista. s. quòd in cuta carabiti & lethargiæ proceditur cũ medicinis quæ resoluunt materiã in pãniculis contẽtam & inuiscatã ubi non est aliqua apertura nec in cuti nec alibi ergo medicinæ poterunt & hoc facere in prædictis læsionibus ubi est uia lata ad extra materiã educendam ergo medicinis utendum & non ossis amotione.

Decima ratio. ¶ Decima uero ratio in eorum fauorem adducenda est hæc scilicet quòd

prius soluitur continuũ deinde accidit mala complexio & semper currunt ad locum læsum materiæ & non curantur uulnera nisi prius introducatur bona cõplexio ut tertio ingenij cap.iiij.& ut quarta primi & quarta quarti & etiam nisi resoluantur humores cursi, malam autem complexionem & humorum cursum resoluit & curat medicina & non ossis amotio, immo prædicta auget: ergo medicinis insistendum.

¶ Vndecima uero & ultima & magis ipsi sectæ utilis & amica est, quod ubiq; diffamatum est quòd multi curantur absq; incisione & ossis amotione & quia sic operando minus horrescunt ægri & astantes & alij, ideo istis à uulgo magis creditur, & sic est fama quam omnes uulgant quæ non est omnino falsa, inquit philosophus, igitur medicinis utendum & non ossis amotione nec tot laboribus medicinæ ut ipsi dicunt insudandum. Vndecima rõ.

¶ Tertia Secta.

ALtera est secta rationalis dicta quæ capitis prætactas læsiones sæpe intendit curare nec aliter recte curari posse asserit, nisi cum ossis amotione incisione & eleuatione simulq; cum medicinis debitis applicatione, de qua secta sunt illi qui famigerati habẽtur tam moderni q̃ antiqui medici. Opinio curantium cum opera manus.

¶ Nec de duabus prædictis sectis aliquis reperitur adhuc fide dignus nec famosus author, de re uera satis est admirãdum, ut inquit Dinus quòd antiqui medici qui causarum sublimium fuere indagatores ac effectuum earum inuentores non cognouerint tales medicinas sanantes prædicta sola earum applicatione.

¶ Sed quia doctis et expertis medicis solum medicinis operari ut infra uidebitur impossibile apparet sanare omnes capitis læsiones ut qui de secunda sunt secta asserunt ideo à prætactis famosis tertiæ sectæ authoribus alius modus et alia uia medicandi est reperta et approbata.

¶ Immo.G.vi.ingenij cap. vi.et ultimo loquens de instrumentis quibus remouetur & aperitur capitis os inquit. nullum enim medicamen in Opinio.G.

ossibus capitis utilibus hoc cognosco, & ibidem etiam inquit item si medicamen huius actionis existens inquirere uellemus, nullum quod nobis sine ligamento sufficiat inueniemus, qua necessitate oportet nos locum fracturæ ab omnibus quæ super os sunt discooperire, ut solum os remaneat quatenus putredinem quæ in eo coadunatur mundificare & desiccare possumus. &c.

¶ Quod quidem ligamentum non potest fieri in capite ut ipse ibidem dũ inquit ligamenta quæ diximus in fractura ossium corporis conuenire non possunt in fractura cranei fieri, nec possumus materiam ad illud uenturam prohibere, neq; cursam quam habet alio expellere, quæ duo nisi ab ossibus remoueantur nullatenus sanari possunt, uerbigratia concedatur os brachij usq; ad medullam fractum esse, nec legatum, sicut diximus extitisse, quo sic existente cum sanies extrinsecus sub cuti coadunatur & interius in medulla dico medullam prius putrefieri deinde totum os quod plurimum euenire uidemus ipso non ligato secundum quòd oportet existente, qua propter cum tale quid in osse brachij contingat quanto magis in ossibus capitis cum non possit ligari, ideo q; fracturam ossis desiccare non possumus quoniam cum ligamento comprimi non potest &c.

Opinio Auic. ¶ Auic. etiam in capitulo de fractura cranei inquit, & de illis quæ nocent ad illud & faciunt esse necessariũ est, quòd ab ossibus alijs præter ossa capitis conuertit ligamentum redditionem. i. retropellit materiam, & hoc ligamentum nõ est possibile super caput, propter illud, ergo necesse est accipere os & fracturã cui est quantitas donec egrediatur uirus sicut est necessarium, & iterum si acciderit uirus inter os instauratum ligatum ligamento opprimente expellente materiam, cum iam esset generatum illud uirus ex ipso loco & penetraret ad medullam, esset nobis necessarium ut discooperiremus & mundificaremus supple in quocunq; membro alio à capite, nõ est igitur excusatio de hac collectione & incisione & detectione loci & prohibitione incarnationis eius usq; quo securus sis ergo qualiter .i. quanto magis in huiusmodi membro. s. in capite.

Opinio Haly. ¶ Et huius rationalis sectæ ultra. G. & Auic. etiam est Haly. nono pra-

ticæ capitulo.lxxxiiij.& Albucasis tertio suo libro de chirurgia capitulo tertio.& etiam zoar.primo sui theizir.tractatu secundo capitulo primo, inquit si incisio usq; ad profundum penetrauerit,tunc omnino indiget chirurgico & operatione manus,& hoc primo incipere debet.s. panniculum à craneo excorticare faciendo incisionem in cruce & facta excoriatione & incisione remoueatur os quod fractum esse reperitur & Auer.vi. colliget capitulo.xxvi.inquit & si fractura sit in osse cranei ut penetrat usq; ad telam tunc necesse est ut circa fixuram os remoueatur ut mundificari possit à sanie tela,ne tela corrumpatur,& si sic non fieret,sanari non posset, sed hoc in loco,modo non inuenitur qui hoc facere sciat.

Arbuc.& Zoar.

Opinio Auer.

¶Hij nanq; omnes inter alios famigerati medicinæ cardines una conuenire uidentur quòd interdum in fractura cranei de penetratione suspecta & non suspecta necessarium sit de osse remouere nisi prius de eo amotũ fuerit sufficienter & huius amotionis inter alios necessitatem probant Gal.& Auic.ubi supra per rationes ab eis supra adductas.

¶Et dato quòd etiam posset fieri ligatura in capite,adhuc non sufficeret pro cura,quia prohiberet materiam fluentem uel etiam cursam expelleret tantum ad extra caput,nequaquam autem intus fluentem impedire & prohibere posset,nec fluxã si qua sit intra ad alia loca transmittere esset sufficiens sicut facit ligatura expressiua in alijs membris,quia fieret impedimentum à forma & à substantia capitis.

¶Cum autem ligatura hoc non possit facere scilicet materiam intra fluentem prohibere,& fluxam ad alia loca transmittere,ne q; etiam reperitur medicamen sufficiens hoc facere posse ut inquit Gal. & quòd alterum trium modorũ tantum,scilicet ligatura uel medicina uel ossis amotione requiratur ad hanc perficiendam curam,necessario ad ossis amotionem deueniendum,cum hoc non agat semper nec medicina nec ligatura nec utrunq; simul ut supra patuit.

Nec ligatura nec medicamẽ sufficiunt.

¶Ad dilucidationem igitur & declarationem prædictarum trium opinionum deueniendum putaui, cum non pauci momenti ac utilitatis sint non solum ægris uerum etiam medicis.

¶ Et primo dico quòd superius uisum est quid sint solutiones capiti euenientes & quæ sint eius particulares speties, quid etiã sit craneum omnibus est notum qui huius artis periti sunt & experti.

¶ Secundo dico curã fracturæ capitis suspectæ & manifeste fieri debere per ossis amotionem nisi ad sufficientiam amotum sit sed etiam cũ medicinis simul quia puto nullo modo læsiones capitis prædictas ut plurimum curari posse nec medicinis extra adhibitis solum, nec potionibus, ut asserunt duæ primæ sectæ, quia non assimulantur tales fracturæ in cura fracturis aliorum membrorũ propter rationes superius per. G. & Auic. adductas, sanies enim & uirulentia sub osse existens exiccari & mundificari non potest: nisi præstetur illi libera uia per ossis amotionem nec ad fundum læsionis penetrabit medicina ad illam exiccandam, unde ex membri nobilitate hic loci nõ potest stare sanies quin inducat corruptionem membri: à qua sequitur indubitata mors.

¶ Est tamen aduertendum quòd sunt aliqui casus in quibus medicinæ solæ sunt sufficientes sanare absq; ossis eleuatione & amotione, & tales casus sunt sicut dicit Dinus illi in quibus hæc concurrunt puta quòd corpus sit bonorũ chimorum in quanto & in quali & propter bonam dispositionem nõ est timor defluxu humorum ad locum uulneris, de quo fluxu multum sit curandum & cũ hoc orificiũ in cute & in carne est bene amplum, & fractura etiam ossis est ampla quæ omnia faciunt ad liberum exitum saniei & quòd hic non sit os attritum nec pungens nec comprimens siue grauans panniculos & quòd panniculus non sit attritus & contusus, quia postea putrefit, & quòd uirtus expulsiua sit fortis, & cum hoc quòd exterius applicentur medicinæ mundificantes, exiccantes & attrahentes & dolorem sedantes temporibus suis. quoniã enim ista cõcurrunt dicimus quòd nullũ est impossibile uulnus cũ fractura cranei esse, quod curari non possit cum medicinis absq; alia operatione manuus in osse, dummodo æger in alys sit obediens medico & quòd medicus sit legitimus.

Casus in quibus sufficiat medicamen.

¶ Tamen talis modus curationis non est eligẽdus. s. cum medicinis quia ut in pluribus non sufficit propterea quia rarissime accidit quòd oĩa ista

Raro concurrunt requisita in cura cũ medicinis.

prædicta concurrant simul quòd si concurrant uel saltem eorum maior pars possibile est quòd sanentur & hinc est quòd isti empirici credunt sanare semper quia interdú talibus emplastris sanauere & hoc est quòd decipit uulgares inquit Gentilis. s. quòd isti cũ emplastris curantes curauere tales læsiones in quibus erat magna fractura in carne & osse & patiens liberatus est, uidetur autem interdum totum oppositum in fissura capillari per ossis amotionem nec ultra considerantes arguunt, hic patiens per apositionem emplastri liberatus est et patiebatur fracturam tam magnam, ille autem qui paruam patiebatur mortuus est per ossis amotionem, et existimant quòd si ille qui est mortuus fuisset curatus cum emplastris non fuisset mortuus sed uixisset, hoc ita q; uidentes et existimantes emplastrũ glorificant & collaudant et operationem cum eo et cum medicinis solis magis q̃ cum ossis amotione.

¶ Quia ergo isti sunt ignorantes effectus causarum et nesciunt distinguere dispositiones uulnerum sed indifferenter administrant talia emplastra in quocunq; uulnerum multos interficiunt, quia si scirent ut inquit Dinus distinguere sic non interficerent, licet autem talis modus curationis sine ossis amotione sit possibilis tutior temen est modis per eleuationẽ et potius medicus rationalis debet ei adherere.

¶ Et ratio est quia ista sua emplastra et alie suæ medicinæ aut habẽt uirtutem attractiuam aut incarnatiuam aut repercussiuã et confortatiuam. sub pluribus enim intentionibus inquit Dinus non administrantur emplastra, nec aliæ medicinæ, si quidem habent uirtutem attractiuam, talium usus in principio est suspectus et malus, quia plures q̃ conueniat trahet humores ad locum, et sic erit causa apostematis, quia à principio ex se currunt humores, et non indigent attractione tunc, sed repulsione. et loci cõfortatione indigent, et ideo à principio oleum rosatum ponitur in uulneribus, et læsionibus prædictis capitis conuenire.

Medicina attractiua non conuenit omni tẽpore nec incarnatiua.

¶ Est etiam suspectus usus incarnantium à principio quia ut in pluribus non sumus securi de effusione humidtatis supra panniculũ et etiam inter partes ossis fissi et hoc ideo quia ut plurimũ corpora sunt immunda, tum

etiam quia ut in pluribus non potest sic subita exiccatio fieri, quin aliquid humiditatis quæ est ibi saltem in uulnere facto in carne à superiori ad inferius defluat inter partes fissuræ, quæ humiditas nisi mũdificetur & exiccetur putrefaciet alias partes.

¶ Et raro est quin tales læsiones transeant in ulcera, propterea quia in capite ex modo compositionis ipsius non potest fieri ligatura constringẽs incarnatiua appellata, quia ergo ut plurimum trãseunt in ulcera & in ulceribus cõtinue multiplicatur humiditas propter causam dictam à. G. tertio ingeny capitulo tertio qui inquit sed tamen cum in carne generantur quædam, duo efficiuntur unum grossum & aliud subtile, quæ non in solis uulneribus, dum caro restituitur oriuntur, sed etiam in toto corpore subtile autem fit quod de corpore dissoluitur dissolutione quidẽ occulta dissoluitur, & aliquando palam. Causa autem est defectio caloris naturalis aut multitudo cibi ultra modum suscepti aut nimia & fortia exercitia uirtutem dissoluentia & prægrauantia, grossum uero lutum fit quod in nostris corporibus efficitur, subtile quoq; uulnus humefaciat, grossum uero illud putrefaciat, unde duo medicamina necessario cõueniunt desiccatiuum uidelicet in hoc quod est humidum & mundificatiuum, eo quòd putridum. Cum enim natura non deficiat à sua actione, necessario cessanter hæc duo in uulneribus oriuntur, igitur nullum tempus est in quo hæc duo medicamina non sit necessaria &c. litera tamen. G. est mala.

In omni ulcere est duplex humiditas.

¶ Ideo ex prædictis concludendum est, quòd medicina incarnatiua non conuenit, quia non exiccat nec mundificat tales humiditates & ita incarnãdo. i. consolidando tales materiæ ibi claudetur quæ postea putrescerent & curam impedirent & forte mortem inducerent.

Non semper conuenit M. repressiuum.

¶ Si uero talia medicamina haberent uirtutem repercussiuam & confortatiuam, tunc usus talium sine ossis amotione esset etiam causa retentionis humiditatis, quæ iam est aggregata in loco à principio illuc fluxa & ibi retenta putrefiet, & ut supra dictum est mortem posset inducere, propter quòd dico usum medicinarum solum non conuenire, quia non sufficit ut in pluribus, & maxime cum tales empirici semper procedant cum una medicina, tam

cina, tam in principio q̃ in medio: & in fine, q̃uis unus utatur una, & alter altera, quia tot sunt medicinæ quot sunt operatores.

¶ Et quia semper medicus debet eligere uiam salutis & tutam debet igitur hanc rationalem sectam imitari, & ideo prudens Auic. dixit non est ergo excusatio de hac collectione & detectione & incisione & prohibitione incarnationis quo usq; sis securus, & si. i. dato etiam quòd non sit timor cursus uirus usq; ad interiora ossis, quod incidimus.

¶ Ecce quòd Auic. dicit dato etiam quòd materia non curat ad intra caput, tutius est adhuc aperire & detegere os nisi in [illegible] ut inquit Nicolus in quo cura per amotionẽ ossis non possit fieri, aut quia non fuerit idoneus operator, aut quia patiens & astantes & affines omnino renuerint operationem chirurgici, aut quia æger multum debilis sit & similia.

¶ Dicit tamen Lanfrancus noui longo experimento quòd multo plures curantur medicinarum modis q̃ perforantium trepanorum, & subdit, ego autem non utor instrumentis ad remouendi os, nisi in duobus casibus, primus est, si cranium adeo fractum fuerit, quòd pars fracta partem sanam subintrauerit, secundus si aliquod frustulum ossis quod duram pungat matrem à craneo separatum fuerit, & subdit in his duobus casibus, quoniam dura mater compressa per casum primum, & puncta per secundum, dolores sentiens humores currẽtes suscipit & apostematur, quod est causa malorum accidentium & mortis, & sic cogor nociuum os instrumentis remouere, in alys autem fracturis alio modo procedo &c. Opinio Lanfranci.

¶ Subdit etiam & cum mihi obiicitur quomodo potest sanguis & sanies sine ossis eleuatione exiccari qui per rimulam supra duram matrem deriuauit, respondeo quòd sicut materia phrenesis multotiens, & quod magis est, lethargiæ per emplastra exterius posita resoluitur ubi non est cranei fissura, nec uulnus in capite, multo melius sanguis leuis & resolubilis, qui per rimulam descendit cum eadem rimula uia sit, potest per eam melius exhalare, nec est sanguis ille in duræ matris substantia, sicut in apostematibus inuiscatus quare melius expulsioni naturæ meliusq; medicinarum obedit attractioni.

Aliæ opiniões.

¶ Nicolus etiam authoritate quorundam dicit quòd in duobus alys casibus est renuenda uia medicaminum, primus est quòd si in osse fuerit contritio. i. cõminutio in frusta separata tunc cura cum emplastris est omnino renuenda, quoniam si os comminutum intus remanebit necessario putrefiet & corrumpetur, alter est si fractura sit arcta stricta & capillaris quia non potest emplastrũ quãtuncunq; attractiuum sorditiem de subtus extra trahere obstantibus angustia fracturæ & ossis densitate.

¶ Inquit etiã Nicolus quòd sunt multi aly dicentes curationẽ cũ emplastris sine alia operatiõe manus magis esse eligẽdã exceptis tribus casibus.

¶ Primus est ubi cutis non est aperta quòd aperiatur sufficienter ante emplastri appositionem.

¶ Secundus casus est in ossis comminutione, in qua cõtingat frustum ab osse taliter separari siue ab intra siue ab extra unum uel plura quoniam requiritur ingenium ad illius frusti amotionem quam emplastrum facere non potest saltem si magnum fuerit & etiam si illud os non separatũ uel separatum pungat panniculos est amouendum.

¶ Tertius casus est si os esset plicatum grauans, & comprimens panniculos, in quo tale os est eleuandum & à compressione prohibendum,

¶ Fatẽtur tamẽ quòd nostri tẽporis operatores oẽs cum emplastris sunt idiotæ imperiti & ignorantes, & quomodo & quãdo, & quo emplastro uti debeãt nesciunt ideo maximũ est periculũ se ponere in manibus eorũ, sed si reperitur uir probus & in arte bene instructus qui sciret debitis & rationabiliter uti medicinis, ipse magis est eligendus q̃ manualis operator.

Opinio conciliatoris.

¶ Conciliator etiam differentia. clxxxi. concedit emplastra posse sanare absq; ossis amotione exceptis tribus casibus scilicet quòd non conueniunt ubi iam adsunt mala accidentia, Secundo non cõueniunt ubi propter contusionem ad intra supra duram matrem fluxi sunt humores fracto craneo: maxime si materia non habet liberum exitum unde possit expurgari puta quòd ibi non sit foramen latum sufficienter uel si est quòd non sit in decliuiori loco læsionis à quo foramine libere non exeat sanies aggregata. Tertio quando fractura non penetrat, & cursus factus est prædis-

ctus quod ex accidentibus cognosci potest.

¶ Pro declaratione aliquorum quæ superius dicta sunt, quia uariæ recitatæ sunt opiniones de isto modo operandi, quia aliqui uolunt quòd in aliquibus casibus detegatur, aliqui qui non ut prætactum est.

¶ Dico ego primo & ante omnia quòd medicus debet esse uir prudens & bene in arte instructus, & exercitatus, & quòd debet ante omnia habere optimam cognitionem de cōpositione capitis per anotomiam & quòd sciat distinguere læsionem à læsione, & an sit simplex uel composita, & cum quo composita, & non confidat etiam sibi soli sed habeat secum alium medicum sibi socium & amicum ut inter se bene ruminent an casus indigeat ossis amotione uel non & ita operando succedet bonus finis. Qualis operatur in capite.

¶ Et quamuis Lanfrancus dicat solum in duobus casibus prædictis debere os remoueri, & quis Nicolus etiam authoritate aliquorum nomina quorum non dicit, excipit primo duos alios casus, deinde tres, non obstantibus etiam exceptionibus à conciliatore prædictis, nō propter hoc est quin sint aliæ species læsionū in capite in quibus requiritur ossis amotio tamen sub exceptionibus conciliatoris multa continentur.

¶ Et ego in hoc concurro cum solerti & diligenti Dino. s. quòd tutius est ut fiat ossis amotio in quacunq; prædictarum læsionum nisi in illis in quibus sunt conditiones à Dino prænarratæ, quia nulla est species de prædictis à me supra in qua aliquando non requiratur ossis amotio, & eo maxime, quia raro concurrunt conditiones prænarratæ à Dino. s. quòd corpus sit bonorum chimorum, & fissura ampla &c. Opinio Dini & Authoris.

¶ Dico bene ego & sic puro mentem esse. G. & sequacium, quòd interdum medicina est sufficiens præsuppositis quæ à Dino supra, sanare læsiones prædictas capitis absq; ossis amotione, sed quòd hic dicitur contra empiricos dicitur, quòd non semper est cum medicinis procedendum, & Lanfrancus & alij à Nicolo recitati & etiam conciliator perversæ sentiunt teste Guidone de Cauliaco in cap. de fractura cranei dum aliquem modum rupturæ excipiunt, quamuis aliqua species fracturæ sit deterior altera.

¶ Veritas est quòd. G. & alij rationales medici procedunt in osse ammouendo diuersimode, modo subito, modo tarde, modo tardius, & ego sum huius opinionis & propositi quòd medicus q recte uult procedere, & operari, debeat prius uti medicinis & semper usq; quo sit coactus ad ossa remouenda, & sic uel aliter operari indicabunt accidentia ut latius dicemus quando de chirurgico instrumento fiet sermo & huius opinionis est Celsus de cura calue qui inquit in omni uero fisso facto ue osse protinus antiquiores medici ad ferramenta ueniebant quibus hic exciderent sed multo melius est ante emplastra experiri &c.

Contra conciliatorem et Lãfrancum.

¶ Sileant ergo Conciliator & Lanfrancus & sequaces cum dicant amotionem ossis non fieri nisi in certis casibus, unum tamen dico quod medicinæ quæ debent applicari ante ossis amotionem non debent esse medinæ empiricæ nec ab empiricis administratæ, sed debent esse rationales & à medico rationale administratæ.

¶ Et hoc est quod dicit Nicolus quorundam authoritate. s. si reperitur uir probas & expertus qui sciat uti medicinis loco & tẽpore debitis quòd ille modus est magis eligendus q̃ operator in osse amouendo.

Vera opinio de osse amouẽdo.

¶ Ego uero aliter sentio, & dico quòd eligẽdus est medicus qui sciat uti medicinis & uti opere manus in osse amouendo & illi se committere quia quãdo opus erit utetur medicinis uel ossis amotione cũ medicinis debitis.

¶ Sed unum ualde præcipuum nolo, quòd operatores huius artis ignorẽt. s. quòd de melioribus intentionibus ad læsiones capitis est, quòd in prima hora uel saltẽ in prima die aperiatur taliter cutis quòd si cõtingat os amoueri ut talis dilatatio sufficiat ad operandum nisi prius sit lata sufficienter ex ista enim dilatatione sequentur iuuamenta à nobis superius alias narrata, sit ergo hæc nostra conclusio quòd in contusionibus & incisionibus & in perforationibus capitis habeatur legitimus medicus cui obediant ægri & æstantes.

¶ Ex his quæ dicta sunt partim possumus soluere obiecta maxime secundæ sectæ, de prima secta parum uel nihil cogitantes quia in usu non est, nisi apud deuiantes à fide certe in læsionibus capitis minus illis potionibus

credo q̃ ipsi hæbræi in Christo, sed in fistulis & malis ulceribus affirmo tales potiones conferre & illis in hoc adhibeo fidem quia pluries eis usus sum, & illas in prædictis ulceribus laudo & in uulnere spiritualium membrorum etiam illis ego usus sum & uidi laudabilem effectum consequi, maxime si in pectore sit sanies multa, quæ exiccatione & mundificatione indigeat tales potiones sunt tunc administrandæ, quia dubium est tunc de conuersione talis dispotionis in fistulam quas potiones hic infra describã cum in hoc secundo instrumento potionis, ut promissi de medicinis tam extrinsecus q̃ intrinsecus applicandis intendam determinare ut aliquid de quacunq; secta in hoc nostro opere dictum sit.

Non creditur potioni.

¶ Solutio ad primã rationem cũ dicitur quòd potest fieri ꝑ pauciora etc. respondetur quòd fit ossis amotio cũ medicinæ nõ perficiũt opus ergo &c.

¶ Ad secundam quòd melius est sine horrore &c. hoc est uerum sed tamen cum medicinæ non sunt sufficientes ad opus deuenitur manuale, in quo quæritur & non fiat dolor nec ruptura nec punctura iuxta possibile, tamen interdum dolor est medicina doloris ergo &c.

¶ Ad tertiam dicendum quòd medicinæ remouent sorditiem & omnem humanitatem si possunt peruenire cum sua substantia ad profundum loci læsi, & aliorum non, & longe melius penetrant & ad locum perueniunt ossis amotione facta ergo &c.

¶ Ad quartã malum malo addere est malũ &c. dico quòd per amotionẽ ossis nõ additur malũ malo sed remouetur malum à malo in amotione ossis nec etiam in osse operari est tam grande malũ ut putãt aliqui ergo &c.

¶ Ad quintam dantur medicinæ exiccantes saniem in exituris &c. sed uelle exiccationem saniei in profundo capitis esset expectare mortem propter membri nobilitatem, in membris enim neruosis & nobilibus nõ expectatur præfata exiturarum maturatio ut inquit Auic. ergo &c,

¶ Ad sextam dantur medicinæ attrahentes ossa et spinas &c. hoc est uerum sed non ita subito et periculum est de mora saniei ut supra ergo etc.

¶ Ad septimam per poros et fixuram potest exire sanies etc. dicendum quòd non semper aut quia multa et grossa, aut quia uirtus expulsiua de-

bilis est, nec tunc ad tempus debitum iuuabit medicina quia tarde exiret sanies & ita sequeretur mors ergo &c.

¶ Ad octauam quòd à. G. à Serapione ab Haly. & à tot peritis authoribus procedatur cum medicinis &c. dicendum est ut dicunt quidam quòd illi intelligunt cum medicinis procedere in illa fractura ubi sufficienter ossa amota sunt non autem in fissura capillari.

¶ Et aliqui dicunt quòd prædictorum authorum sermones referuntur ad solutionem capitis ubi craneum non est fractum.

¶ Et aliqui dicunt quòd prædicti authores ponunt talem modum cũ medicinis ut ostendatur quòd talis modus interdum est possibilis & dicunt quòd etiam sic intellexit Auic. cap. de fractura cranei uerbo illo in fissuris uero in quibus non est nisi fissura &c.

¶ Dicunt etiam quòd præfati authores ubi loquuntur de soda ponunt solum modum cure cum medicinis quia sua intentio hic loci principaliter non est loqui de uulneribus capitis sed quia præsupponunt sufficienter alibi de eis fracturis dixisse cum operatione manus in osse amouendo ideo hic tantum dixerunt de medicinis intendentes tantum ad doloris sedationem hoc est sodæ.

¶ Ad illud autem quod dicit Auic. & principium quidem consistit in emplastris &c. dicitur Auic. uelle quòd à medicinis sit inchoandum quia citius per illum modum introducitur salus ut supra ego dixi prius ab eis incipiendum esset & sic usq; in finem procedere nisi sit quod talem modum impediat bruscatio enim & raspatio siue incisio in osse tardat curam, rectificatio igitur, idest sanatio erit uelociter si medicina sola possumus uti ergo &c.

¶ Ad nonam. s. quòd cura carabiti est possibilis & lethargiæ cum medicinis &c. nego similitudinem quia materia in apostemate non est ita putrida ideo nõ ita mala nisi ueniat ad exituram sicut in uulnere nec ita in uno loco unita & aggregata ideo minus nocet & resolutioni magis apta est, nec caput est ita debile in expellendo sicut ubi est uulnus ergo &c.

¶ Ad decimam. s. quòd oportet prius bonam complexionem introduce-

re &c. dico ossis amotionem malam complexionem remouere interdum melius medicina ut hic facit quia præbet iter ad expurgãdum materiam, malam complexionem inducentem & illa uti dedemus ubi non confert medicina ergo &c.

¶ Ad undecimam dicendum est ut inquit Dinus quòd ad famam q̃ dant laici & uulgares qui non cognoscunt ea quæ sunt artis medicinæ parua est ponenda cura quia est mendosa nec tali famæ est credendum, nec aliquid ueritatis in se habet ergo &c.

¶ Et sic ex istis solutionibus & etiam ex aliquibus superius dictis puto obiectiones secundæ sectæ solui posse immo sufficienter solutas esse.

¶ Continuatur cura fracturæ cranei per potionem.

CVram continuando per medicinarũ exhibitionem fundamentũ incipiemus à dictis Gal. secũdo memiri capitulo de cephalargia à percussione qui inquit. Contingit autem multotiens eis qui in ruinis ex alto scindi aliquam earum quæ secundum cerebrum aut miringam particularum, quo contingente cephalargia fit fortior & tota dispositio difficilius curabilis & periculum acutius & uehementius. Optimũ igitur est his si ne q; ea quæ ætatis prohibẽt, ne q; uitalis uirtus infirma uideatur principium sanationis à phlebotomia facere. & successiuis embrocationibus in capite uti, in oleo dulci infundens lanas & cooperiendo id.

¶ Si autem prohibeamus propter aliquod horum uel propter ambo sanguinis ablationem facere: euacuabimus uentrem per clysterem. Et gratia quidem euacuandi ea quæ in ipso sunt: sed magis adhuc gratia antispaseos humorum qui consueuerunt ad patientes particulas ferri. Deinde his qui ad phlegmones utemur auxilijs, hoc totum repetitur etiam à Rasi primo continentis eiusdem Gal. authoritate. *quid agant clysteres.*

¶ Ex prædictis cognoscitur excellentia clysteriorum læsione capitis: quia euacuant & diuertunt & hoc forte non faciunt aliæ medicinæ, laudantur etiam clysteres à Serapione in cura sode à percussione inter

alias medicinas inquit clyster igitur euacuat illud euacuatione meliori quoniam inferius est longior locorum & contrarium in rectitudine quare attrahit materiam ad partem contrariam parti ægritudinis.

¶ Cura igitur à phlebotomia inchoanda est nisi à uulnere sufficienter fluxerit sanguis ad quam phlebotomiam faciendam concurrunt omnes authores et Serapio, et Haly. et Auic. et alij in cura sodæ factæ à percussione.

quando phlebotomia fiat.

¶ Et phlebotomia fiat in prima hora inquit Paulus. i. quãto citius melius. Et Haly. quinto theor. cap. x. inquit. Cui autẽ cephalea ex percussione aut casu super caput contingit acceleranda est phlebotomia, sanguis quæ iuxta quòd opus est educatur ut uirtus consuluit, ad quã phlebotomiam præponi debet uentris euacuatio quæ fiat à natura uel ab arte.

¶ Inquit Nicolus uoce aliena dicunt hoc cum statim post percussionem ad patientem ueneris, considera si adhuc cibum indigestum in stomacho habuerit, et sic uomitum prouoca illius. Si uero à stomacho descenderit Clysterem lenitiuum impera. Deinde phlebotoma. Ideo dicitur. xv. continentis. Dico horribilis est minutio ante digestionem cibi: qui est in stomacho et meseraica: quoniam facta minutionẽ attrahitur aliquid de eo quòd in uenis et stomacho est ad epar, et meatus eius ad respectum uacuitatis sunt stricti. Et incongruum est quòd attrahatur crudum ne fiat in uenis humor crudus nociuus eis, qui non digeretur sed putrefiet et augebit febrem. Aut inferet ei aliquod peius, ideo expectãda est minutio si opportuna fuerit donec integre fiat digestio cuius signum habetur per urinam croceam et alleuationem corporis suscitato modico appetitu cibi &c.

Opinio de uomitu.

Rasis de phlebotomia fiẽda uacuo uentre.

¶ Idem dicit Auic. quarta primi cap. de phlebotomia inquit à minutione præterea cauere debes super cibi repletione ne materiam non maturam ad uenas trahas loco eius quòd ab eis euacuasti: et oportet etiam ut tibi caueas ab ea in repletione stomachi et intestinorum facta ex fece iam consecuta et propinqua. Immo in euacuando eam stude, et illud quidem quòd est in stomacho aut corã eo uomitu. et quòd in intestinis inferioribus quomodo poteris et si non alio, saltem clystere etc.

¶ Tamen communiter practicantes fugiunt uomitum in dispositionibus

capitis,

capitis, sed expectant integram digestionem & præmisso lenitiuo clystere si natura ex se non operata est phlebotomant.

¶ Et phlebotomia secundum Rasim primo continentis. Et Auic. in cap. de cura sodæ fit ex cephalica aut ex nigra. & dicit Rasis quòd quater phlebotometur in duobus uel in tribus diebus. & intellexit in debili corpore sed inquit Nicolus in cõsueto phlebotomari. Et in his à quibus de uulnere multus exiuit sanguis.

A, qua uena fiat minutio.

¶ Tamen in isto casu moderni laudant uentosas & aliqui sanguisugas & uentosæ in spatulis & in natibus cõmuniter in tali casu applicantur. sanguisugæ uero circa uenas ani.

¶ Obseruant etiam moderni hanc regulam, quòd si non sit pletoria minuunt cephalicam oppositæ partis. Quando uero est pletoria minuunt nigram. Et si maior pletoria, prius nigram. Deinde cephalicam & aliquãdo fit de basilica uel de uenis capiti longioribus secundum quantitatem plenitudinis quia quanto maior fuerit plenitudo tanto plus à lõgo debet fieri.

Modus modernorum.

¶ Et nota quòd non debet prolongari inter duos diametros: quia debilitaret & non educeret à loco læso.

¶ Et etiam nota quòd phlebotomia præ cæteris minutionibus confert ne fiat apostema sicut intenditur in principio omnium læsionum capitis prædictarum, & Auic. in capitulo de fractura cranei solum ordinat phlebotomiam. Inquit quòd si apostematis calidi causa est manifesta tunc oportet ut abscindas causam illam uelociter, quòd si est ex causa occulta. i. ex humorum repletione tunc stude in separatione eius & administra phlebotomiam uenæ si non fuerit aliquod prohibens &c.

Dinus laudat phlebotomiam plus pharmaco

¶ Et ratio Auic. est hæc ut ibidem dicit Dinus: quia ut plurimũ est quòd apostema accidit ex fluxu sang. q̃ ab alio humore, tum quia sanguis maxime est aptus fluere, tum etiam propter habundantiam ipsius maiorem: tum etiam propter nobilitatem ipsius. Iterum etiam phlebotomia est euacuatio maxime distrahens: hoc autem à principio quia apostema generatur maxime ex fluxu humoris: ideo competit & maxime competit distractionem facere ad partem oppositam. Et quia hoc maxime facit phlebotomia

mia & cito etiam facit pro tanto supra plus Auic. facit mentionē de phlebotomia q̄ de alio modo euacuationis.

Vbi conuenit pharmacum.

¶ Verum est quòd aly modi euacuationum. s. per pharmaciā conueniunt maxime apostemate perseuerante ideo ibidem parū infra dixit Auic. quòd si apostema calidum perseueret. & non est aliquid quòd prohibeat sumere medicamen solutiuum soluens semel fiat illud nam Hippocrates præcipit illud.

¶ Et ibidem Dinus inquit competentia autem pharmaciæ plus est in apostemate perseuerante: quia tunc per euacuationem quæritur eradicatio humoris qui est in membro apostemato contentus.

¶ Et Auic. dicit hoc pharmacum debere esse leue soluens semel ut nō augeat inflammationem, sicut faciunt medicinæ fortes & tale pharmacum est sicut cassia fistula & manna thamarindi & similia: tamen interdum aliqui uadunt ad reubarbarum & ad agaricum.

Opinio Pauli de pharmaco.

¶ Dinus tamen inquit quòd Paulus dicit quòd solutiuum debet esse cholagogum. i. choleræ eductiuum & bene sentit Paulus: quia apostema quòd habet generari in panniculis generatur de materia subtili in qua uel cum sanguine uel cum alys humoribus semper est cholera: ideo cholera euacuanda est, cum medicina tamen leui propter rationes prædictas.

Clysteres acuti

¶ Tamen Serapio et Auicen. in cura sodæ à percussione, facta phlebotomia ordinant clysteres etiam satis acutos cum sale & cum colloquintida. Inquit enim Serapio quòd in clystere sunt duo iuuamēta scilicet quòd euacuant & diuertunt. & sint acuti si non adsit febris. Si uero adsit febris dicunt clysteres adequari debere scilicet nō acutos nec etiam multum leues: quia non diuerterent nec euacuarent. Et si clysteres non conferunt iubent dari pilulas chochias non stante febre.

Pilulæ cochię.

¶ Dicit tamen Auic. quòd si habuerit calorē qui febre sit minor. i. quòd diminute febriat non prætermittas ipsarum potionē, necessaria. n. est euacuatio ut securetur ab apostemate.

¶ Nota tamen quòd tales Pilulæ & tales clysteres non dantur nisi in cōplexione phlegmatica frigida & in robusto corpore & in frigida hora,

ira uino & cibis calidis.

¶ Inquit etiam ibidem & in soda accidenti expercussione fiat phlebotomia in principio post accipe succum frondium salicis & mirthi & oleum liliaceum & uinum odoriferum & mirrhæ & meliloti & calami aromatici & alluminis iameni & luti armeni & fiat emplastrum capiti & prouocetur assella & subtilietur dicta.

Remedia in soda per Rasim.

¶ Inquit etiã ibidem & cum soda accidit ex percussione calefac caput cũ lana intincta in oleo calefacto & prouocetur fluxus leuiter et caueat à sole, balneo potu uini à labore à cibis acetosis & acutis. et aspergatur super caput aqua calida. Et si est in capite uulnus, puluerizetur desuper resinæ uel aloe et thus mixtum cum melle et bene ligetur. Vides lector quòd hic medicinæ à Rasi positæ non sunt Stipticæ à prædominio. ergo apparet textum Auicennæ de soda à percussione à me bene fuisse expositum.

¶ Vnde est quòd Auic. nõ ponit doses medicinarũ localiũ in multis locis.

Quare est quòd Auic. non ponat doses quare etiam ponat diuersas mede

VNum aliud nolo silentio pertransire. s. quòd sunt multi qui admirantur de hoc. s. quòd in uno capitulo Auice. ad quamcunq; ægritudinem ponuntur multæ medicinæ diuersarum complexionum. Admirantur etiam quia non ponit earum doses si contingat ex eis componi emplastrum uel linimentum uel aliquid aliud locale.

¶ Quibus admirantibus et in hoc dubitantibus dicam quæ mihi occurrunt, et ideo quòd medicus præcise non potest ex simplicibus componere medicinam quæ totaliter conueniat ægritudini ut monstrabitur quia una medicina conuenit uni ætati et alteri non, et uni complexioni et alteri nõ: et in uno tempore altero uero non.

Pulchrũ Gal. dictum.

¶ Quod considerans Gal. secundo memiri capitulo de cephalargia à percussione. inquit. Dispositio enim subenunciat nobis auxilia quantitatem uero uniuscuiusq; et particularem in materijs differentiam, coindicat patiens particula et crasis hominis laborantis. Et cum his uitalis uirtus ut dixi, deinde ætas et crasis continentis alijs alia fiens, secus regiones

& horas anni. Et obtinentem constitutionem &c. Non miretur ergo aliquis si Auic. non dixit doses medicinarum nec hic nec alibi maxime cum etiam Gal. tertio ingenij capitulo tertio dicat quod autem non potest pate fieri nec in libro scribi nec ab alio dici, unum quidem est. s. uera quantitas uniuscuiusq; particularis: subdit tamen Gal. uerum ad eas cum significationibus appropinquare possumus &c.

Medicus diligens sit calida calidis applicare & frigidis.

¶ Sit ergo discretus medicus & prædicta consideret & applicabit calida calidis & calida frigidis & alias qualitates modo contrarias modo similes prout requiritur in conseruando similia & in remouendo contraria.

¶ Et quòd hoc sit uerum quòd medicus non possit præcisum gradum inuenire in medicina nisi ueniat ad actum experiẽtiæ probatur per Auic. in multis locis. & primo quarta quarti cap. xi. de medicinis facientibus nasci carnem in uulneribus qui inquit & experimentum quidem est illud quòd scitur quòd est ex exiccantibus & stantibus: aut ex nascentia carnis secundum processionem uel continuitatem aut ex sordidatione.

¶ Et ibidem etiam inquit & quando prohibetur medicina à iuuamento declina ad aliam.

¶ Et ibidem inquit & quando q; iterũ est quibusdã corporibus proportionalitas cum quibusdam medicinis absq; aspectu operationis earum.

Multæ authoritates Auic. probantes experiẽtiæ esse stãdũ.

¶ Et ibidem adhuc inquit. & scias quòd est medicina faciens nasci carnẽ in corpore aut membro & non est faciens nasci in alio & illud ideo quoniã fortasse exiccat in corpore: & non exiccat in corpore propter complexionem duorum corporũ. Et secundum quòd sciuisti fortasse superfluit in corpore & non superfluit in corpore neq; est abstersio omnino cum hæc medicina indigeat exiccatione quadam & abstersione quadam mensuratis secundum corpus. nõ absolutis & res mensurata est diuersa cũ impressione in rebus quæ non sunt conuenientis quantitatis in passione &c.

¶ Idem etiam affirmat quarta quarti tractatu tertio capitulo secundo in canone curationis ulcerum inquit & medicamen quidem unum secundum quædam corpora facit nasci carnem. Et secundum quædam eorum est corrosiuum uehementis abstersionis cum corpora illa sint leuia ualde &c.

¶ Et ibidem

¶ Et ibidem inquit & oportet ut audias sermonem cõmunem & est quòd de illis quæ sunt necessaria, est illud quo curatur ulcus, aut conueniens aut inconueniens. Et conuenies licet non conferat in dispositione, tamen non associat ei nocumentum: & inconuenientiæ diuersificatio, aut est quoniam ipsum est debilius, & significat illud additio eius, quòd est contrarium ei quòd ex ipso expectatur de exiccatione aut mundificatione, aut alys præter corruptionem aliam. quare oportet ut addatur in uirtute eius, aut est diuersitas propter modos alios, sicut quia ipsum calefacit ultra q̃ necesse sit ei, quare facit accidere rubedinem & inflammationem, qua propter oportet ut minuatur de fortitudine eius, & extinguatur de inflammatione eius cum emplastro infrigidante &c.

¶ Et ibidem etiã inquit & multotiens quidem non conuenit medicamen, propterea quòd complexio infirmi est superflua in calido eius cuius medicamen oportet esse fortius in contrahẽdo illud calidũ, adeo donec reducat ipsum ad complexionem suam, aut debilis in calido conueniente ei.

¶ Et idem tractatu eodem tertio, capitulo tertio de cura ulcerum inquit, & cum tu administraueris medicamen & non inueneris humiditatem minui aut uideris eam augeri tunc scias quòd medicamen secundum illud corpus non est exiccatiuum quare adde in confortatione eius & plus exiccatione & adiuua ipsum cum abstersione pauca &c.

¶ In hanc etiam sententiam uenit quarta quarti tractatu primo capitulo sexto de regimine uulnerum habentium apostemata & dolores inquit. Et oportet ut obserues illud ad quòd conuertitur dispositio apostematis sicut si tu administraueris unguentum nigrum, & uideris uulneris ruborem uehementem fieri, & uesicari declina ad infrigidantia & ad unguentum album. Et si uideris ipsum mollificari aut indurari & tu iam administrasti album, administra nigrum. & alia.

¶ In prætactam opinionem incurrit etiam quarta quarti tractatu quarto in capitulo secundo in canone curationis solutionis continuitatis neruorum dum inquit. Et oportet ut obserues in medicinis eorum ne calefaciãt ultra quam sit necesse neq; abbreuientur in calefactione necessaria. Et similis

ter in absterſione & exiccatione & in contrario utriuſq;. Cum ergo uideris quòd iam calefactum eſt tunc infrigida ipſum. ſ. membrum cum menſura quæ minuat additionem ab eo quòd eſt neceſſarium. Et quando q, experimur cerata facta cum euphorbio ſuper crus hominis ſani ſimilis infirmo in complexione ſua & ipſius forma & conſideretur an ſuperfluant in calefactione an nõ calefaciant ipſum in aliqno de quo ſit curandum aut calefaciunt ipſum calefactione temperata & tunc ſecundum illam quantitatem poſtea adminiſtrentur ſuper infirmum. & experiuntur ſuper ipſum ſecundo.

¶ Ex prænarratis quilibet poteſt comprehendere unde ſit quòd in uno capitulo Auic. ſint diuerſarum complexionum & uirtutum medicinæ deſcriptæ. Et etiam quare non poſuit doſes.

¶ Conſequenter dicamus medicum debere eſſe boni iudicij: quia medicina non traditur inſcriptis niſi aliquo modo uniuerſali. Hæc uolo quæ indicent ſi medicina ſimplex uel compoſita poſſit reperiri ad determinatum gradũ pro ægritudine remouenda uel ſalute ſeruanda. & ita ſi noſtræ medicinæ ſuperius ſcriptæ & inferius ſcribendæ ab aliquo ponantur in actu poni debent menſurando earum effectum ſicut dicit diuus Auic. & illas debet medicus mutare & eis uti pro ut indicat earum effectus. & ita acquiretur legitimi medici nomen.

Prius caput abradendum.

¶ Nunc autem ad reſiduum medicinarum prædictis diſpoſitionibus capitis conuenientium deueniamus: & dico quòd in quacunq; læſione ut ſupra dixi ad longum debet præponi capitis abbraſio poſt quam ſtatim fiat fricatio cum mantili calido ut pori aperiantur. Deinde totũ caput unguẽto uel emplaſtro uel alia medicina tegatur propter rationes antedictas. et in petia ſuper qua ponitur tale locale fiant inciſiones & perforationes plures ut uapores inde melius exeant & aeris qualitate conſiderata, caput pannis & capitio uel alio ingenio & ligatura dolorem non cauſante tegatur.

¶ Nec talia niſi remiſæ calida nec actu nec potentia ponantur in primis diebus & prius facta euacuatione ſufficienti iuſta poſſe.

¶ Et Nicolus authoritate aliena inquit quòd ſi fractura ſit prope com-

missuras quòd illa melius sanatur q̃ si distet stante notabili apertione in cute & osse: quia ratione commissurarum melius resoluitur & euaporatur materia: ideo dicit quòd ibi non requiritur tentarum appositio sicut alibi maxime in cute: sed quòd in osse ponitur de cotone carminato &c. Et ego sum ex illis qui semper laudo tentas leues inter labia quia est tutior uia.

Prope cõmissuras melius resoluitur materia.

¶ Et modus compositionis residui medicinarum læsionibus prædictis cõferẽtium est iste. primo est emplastrũ relatum ab andromacho quòd extrahit spinas ossa tela, & huiusmodi uulnera sigillat.

¶ Recipe granorum quæ inueniuntur in fractu palmæ quæ dicuntur armeli siue aumeli. & barauc rubei, salis armoniaci. aristro. creticæ R. a. cucumeris asinini. terbentinæ ana aureos. xx. piperis. macro piperis armoniaci. amomi. xilobalsami thimi masticis mirrhæ resinæ siccæ uisci quercini. lactis arboris mori ana aureos. x. ceræ aur. xxx. sepi caprini aur. xv. fecis olei quantũ sufficit fiat emplastrum & fiant magdaleones. qui malaxentur manibus inunctis oleo liliaceo & seruetur & usui administretur.

Andromaci emp.

¶ Aliud unguentum magistri Anselmi de ianua & consolidat ossa fracta & sanguinem siue saniem trahit de sub osse. Recipe terbentinæ unc. vi. ceræ: unc. iij. simul liquefacta in aceto ponantur & malassentur per diẽ. post separa ab aceto & pone in lacte mulieris uel uaccæ uel asinæ quantitas lactis sit lib. sem. buliant simul lento igne per mediam horam post adde succi bethonicæ unc. iij. pulueris herbæ de tunisi idest cuiusdam herbæ sic nominatæ pisis & est herba cuius radices assimilantur radici herbæ ualde bonæ nisi quia meditulium harum est coloris crocei. & sunt aromaticæ & ualde bonæ non. Et si non habetur hæc herba est etiã bonum & lento igne uel in sole fiat unguentum et administretur ut supra.

Vnguentum Anselmi,

¶ Aliud quòd est expertum. Recipe gũmi helleni drach. iij. resinæ drach. iiij. ceræ drach. vi. olei ro. drach. iiij. armoniaci drach. iij. terbẽ. drach. iij. succi betho. drach. v. et fiat unguentum.

Vnguentum expertum.

¶ Aliud Recipe terbentinæ drach. iij. ceræ albæ drach. iij. aceti olei rosati ana drach. i. & sem. lactis mulieris drach. iij. et sem. succi bethonicæ drach. v. et fiat unguentum.

Vnguentum

Vnguentum expertum.

¶ Aliud quòd expertum est, & dicunt aliqui quòd consolidat omnia uulnera & uulnus cranei fracti. Recipe resinæ pini ceræ ana unci.i. terbēthinæ unci.iij. bethonicæ pulverizatæ centaureæ ana unci.j. buliāt omnia in sufficienti quantitate uini ad notabile tempus. post cola & adde lactis mulieris succi bethonicæ ana unci.iij. aceti unci.j. fiat unguentum.

Vnguentum.

¶ Aliud. Recipe ceræ terbenthinæ ana unci.j. & semis centaureæ maiomatrisilu. ana unci.j. & sem. buliant simul in uino. post cola & adde olei benedicti unci.iij. & fac unguentum.

¶ Aliud. Recipe resinæ lib.i. terbenthinæ lib. sem. cere. lib. sem. masticis unci.iij. bethonicæ pimpinellæ mellumgranæ berbenæ uermicularis ana manip.iij. buliant omnia in sufficienti quantitate uini & cola & adde lactis mulieris lib. sem. & fac unguentum.

Vnguentum.

¶ Aliud. Recipe gummi helleni drach.j. oppoponacis bedelij ana drach. sem. resinæ drach.i. cere. q.s. & utere.

¶ Aliud quòd dicitur emplastrum bouinum quo communiter utebantur chirurgici Florentini & à Petro de argelata appellatur unguētum de matrisilua. Recipe terbentinæ ceræ ana unci.iij. olei rosati unci.j. matrisiluæ pulverizat. unci. iij. buliant omnia in bono uino secundum artem & fiat unguentum.

Vnguentum expertum.

¶ Aliud quòd est expertum. Recipe succi primi floris succi bethonicæ succi gariofilatæ succi matrisiluæ succi pimpinellæ ana drach.j. terbenthinæ drach.iij. bedeli drach. semis ceræ drach.j. boni uini unci.i. lactis mulieris unci. semis. buliant omnia lento igne usq; ad consumptionem succorum. Deinde adde aristr. rot. bethonicæ ana drach.j. & fiat massa.

¶ Et hæc emplastra seu unguenta hic parum supra scripta sunt à Dino & à Nicolo notata & ab ipsis laudata. Multorū uero aliorū authorū ponā alia localia, sed illa localia quibus maiorē fidē ego adhibeo in hoc toto opere reperiuntur scripta sic. s. expertum est quia illa prius expertus sum.

Emplastrū de centaurea expū

¶ Emplastrum de centaurea secundum Argelatam in capitulo de fractura cranei sed est Guidonis & est expertum. Recipe centaureæ maioris manip.vi. infundatur per noctem in uino. Deinde buliant usq; ad cōsump.

medi.uini post coletur & buliant usq; ad spissitudinē mellis de qua capias unci.i.ceræ drach iy.lactis mulieris unci.iy.terbenthinæ lib.i. ceræ unci.iiy. resinę unci.sem.thuris masticis gūmi arab.ana drach.iy.et fiat emplastrū. Expertum est.

¶ Aliud & est emplastrum de bethon eiusdem ibidem sed est Henrici & est expertum. Recipe succi betdonicæ succi plantaginis succi apij colatorum ana lib.i.resinæ ceræ nouæ ana unci. iiy. terbentinæ lib.i. fiat emplastrum secundum artem hoc est per me expertum. Expertum est.

¶ Aliud unguentum gratia dei dictū quòd est expertum & secundū Leonardum Bertapaliā etiam est expertum & descriptū in medicinis carnem generantibus & ualet in uulneribus capitis cum requiritur illud. Recipe ceræ albæ resinæ pini armoniaci ana unci.vi.terbetinæ unci.iiy.galbani olibani masticis mirrhæ ana unci.semis.aristr.rot.drach.iy.cū uino decoctionis berbenæ bethonicæ & consolidæ maior.& minoris & centaureæ pimpinellæ hypericon herbæ gratia dei & bautiæ ana manip.i.fiat unguētum & malaxetur cū lacte mulieris et utere et quid sit herba gratia dei uide luminare maius ualet etiā in fractura cranei ad consolidationem maxime. Vnguentū gratia dei expertū

¶ Conuenit etiam in similibus dispositionibus emplastrum apostolicum chirurgicum appellatum cuius descriptionem uide à Rolando in capitulo de cranei fractura. Apostolicon chirurgicum.

¶ Aliud emplastrum et est positum à conciliatore pro cranei fractura differentia.clxxxi.et dicit quòd sanat absq; amotione ossis applicando, tertia uel quarta die transacta.et fit isto modo.

¶ Vinum enim suscipitur doricum siue maluaticum et stuppæ in eo infunduntur deinde exprimuntur. Deinde habentur pulueres plantaginis et siliginis non uehementer tritæ. Primo quidem plantaginis pulueres super stuppa paululum asperguntur. deinde siliginis sed in maiori quantitate de plantagine. Et quidam aliquam partem fabarum nigrarum et grana sint tosta contrita modo prædicto super hoc puluillo addunt et loco laso applicant.multosq; puluillos in eodem uino imbibitos et expressos supra ponūt et dimittunt per tres aut quatuor dies maxime in hieme. Demum ut magis trahant de fortis ponunt emplastrū ex fermento, ipsius enim est Quidā modus conciliatoris. Emplastrū ex fermēto trahit.

materias ex profundo corporis euellere deinceps aliquo modo consolidā communiori. Hunc autem modum dicit Conciliator se uidisse ualere & ipse expertus est.

¶ Inquit etiam. est autem alius modus artificialior utilior & communior iam factus saracenis, ut post sanguinis hæmorrhosagiam tale super applicetur unguentum quòd expertum est. Recipe gummi helleni unci. iij. resinæ puræ unci. iij. ceræ unci. vi. olei ros. unci. iij. armoniaci unci. ij. terbentinæ unci. iij. & drach. sem. fiat unguentum & istud est unguentum gummi helleni conciliatoris quo ego etiam usus sum & laudo.

Vnguentū gūmi helleni conciliatoris expertum est.

¶ Est aliud unguentum ibidem huic satis affine multum laudatum à bertapalea in capitulo de fractura cranei, sed ipse non ponit oppoponacum nec bdelium & est expertum. Recipe gummi helleni unci. iij. oppopanacis unci. ij. bdely unci. sem. resinæ pini unci. i. ceræ albæ. q. s. & fiat unguentum.

Aliud expertū

¶ Aliud emplastrum per me expertum in contusionibus capitis si sint sine cranei fractura. Recipe farinæ ordei. calamenti. origani ana manip. i. camomillæ assari maioranæ foly sticados ara. foliorum lauri abscythij ana manip. i. & sem. si fiat sine folio non refert cum aqua & oleo ros. & oleo camomillæ fiat emplastrum & est mirabile factis uniuersalibus: & nō reperccutit sed resoluit & confortat.

Aliud emplastrum exptum

Expertum est.

¶ Aliud emplastrum bertapal. ponendo supra alias medicinas ad confotandum & expertum est. Recipe calamenti melliloti camomillæ. sticados florum lauri assari bethonicæ matrisiluæ ana manip. i. maioranæ serpilli ana manip. sem. farinæ ordei unci. iij. croci scrop. ij. cum aqua & oleo rosato & camomilla fiat emplastrum. Hoc ego laudo: quia est singulare ubi non dubitatur de caliditate.

¶ Aliquos pulueres & aliquos liquores seruabo dicendos & alia unguenta & meum ceratum capitale humanum appellatum ubi de operc manus fiet mentio.

¶ Nota quòd Nicolus inquit quidam dicunt rem mirabilem expertum apud eos quoniā aliquando contingit craneū percussum ad interius com-

Experimētum de uiolis.

primi & plicari & substantiam cerebri lædi unde patiens loquelam amittit tunc uiolas contere & cum uino patienti da bibere. Deinde considera si dextra pars cranei læsa sit uiolas sic contritas liga sub planta pedis sinistri. & si par cranei sinistra læsa sit ponas sub planta dextra statim enim miraculosæ os resiliet & loquela redibit &c. hoc à me non creditur.

¶ Repertus est etiam quidam alius modus primo à certis hispanis nautis ut retulit mihi fidedignus quidam. Deinde à certis ianuensibus in Italia. Deinde à multis alijs secutus, qui modus est cum aquis & pulueribus infra describendis & illis indifferenter omni ætati. omni læsioni. omni complexioni. & omni tempore. Et ut breuiter dicã nulla considerata differentia utuntur, semperq; pinguem dietam cibi. & uini potum exhibendo: qui modus maxime localium non totaliter in aliquibus casibus est uitupcrandus. Conuenit certe iste modus in uulnaribus simplicibus ubi cita requiritur exiccatio & consolidatio conuenit etiam in læsionibus capitis applicando in capillari rima ut exiccet humiditatem in ea contentam etiam si penetret usq; ad siphac. Complexio enim ossis & duræ pelliculæ talem potest pati medicinam quia siccissima est ut inquit Gal. sed non debent tales aquæ administrari in principio nec in tempore calido nec in complexione calida, & tunc possunt administrari rationabiliter utendo tamẽ dieta & potione & manuali operatione pro ut sumpta & infra dictum & dicendum est, sed quia talia remedia carent legitimo inuentore & actore à me totaliter reprobantur nec eis aliquo pacto auderem uti. Et isti qui sic operantur isto remedio nautico capiunt hanc aquam scilicet.

Modus nouus cum aqua uitæ non bonus.

¶ Recipe aquæ uitæ lib. ij. mirrhæ unci. i. aloes unci. ij. croci. scrop. ij. sarcocollæ thuris ana drach. iij. aliqui addunt grana hypericonis unci. iiij. infundantur omnia simul et dimittãtur per sex dies sic infusæ. Deinde fortiter exprimantur. et de ea aqua utatur ut infra dicam.

Aqua.

¶ Sunt aliqui qui prædictam infusionem nouiter sublimant siue distillant per allembicum et ea utuntur.

¶ Sunt tamen aliqui alij qui fingunt prædictam aquam multa alia simplicia ingredi et admodum ellexir distillant sed decipiunt in hoc uulga-

Trupha.

res & hoc faciunt ut suæ medicinæ habeantur in cariori pretio: cuius ellexir talis est descriptio.

Ellexir uitæ. ¶ Recipe gariofilorũ calami aromatici ben. albi et rub. aloes thuris mirrhæ cinamomi galangæ nucis musca. macis ligni aloes rosarum rub. & albarum anthos bethon. camomillæ matrisiluæ sandalorum alborum & citrinorum Cardamomi spice cubebe nardi masticis margaritarum fragmẽtorum omnium corallorum rub. cardi benedicti diptam albi zedoariæ termentillæ bistortæ gentianæ ana drach. i. & sem. ficuum pinguium. vi. musci ambræ ana scrop. sem. dactylorum numero. ix. passularum unci. vi. mellis unc. iij. zucari albi. unci. vi. aquæ uitæ lib. iiij. distillẽtur. primo exit aqua clara, secundo lactea clara, tertio turbida, capitur secunda inqua ponuntur masticis thuris ana drach. vi. gummi ellemi unci. iij. galbani unci. sem. cinamomi ligni aloes cubebe nucis muscatæ galãgæ ana unci. i. terbentinæ lib. sem. aquæ uitæ lib. iiij. distilletur, prima & secunda aqua erit clara. tertia subrubea & ista est ad uulnera ut ipsi dicunt quam detestor & abhorreo.

Vsus aquarũ. ¶ Vsus prædictarum aquarum est iste. Isti ponunt in uulnere de tali aqua quantum retinere potest uulnus. Deinde implent prædictum uulnus isto puluere. s.

Pluuis cũ aqs. ¶ Recipe aloes epatici unc. ij. mirrhæ drach. vi. sarcocolæ thuris masticis ana drach. ij. misce & fiat puluis & utere ut supra. & sic usq; circa finem curant. postea aliquo unguento consolidatiuo sigillant.

Alia aqua. ¶ Hæc est alia aqua. Recipe aquæ uitæ lib. x. maluatici lib. iiij. granorum hypericonis matur. lib. ij. thuris lib. sem. infundantur per mensem postea cola & utere ut supra.

Alia aqua. ¶ Alia aqua. Recipe aquæ uitæ lib. x. maluatici lib. vi. aloes unci. iiij. mirrhæ unci. iij. thuris masticis ana unci. vi. radicum consolid. ma. lib. ij. centaureæ lib. sem. granorum hypericonis lib. ij. terbentinæ lib. ij. misce per mensem & cola & utere.

Alia aqua. ¶ Sequitur alia aqua. Recipe aquæ uitæ li. vi. maluatici li. ij. granorũ hypericonis centaureæ ana lib. ij. thuris aloes mirrhæ masticis ana unci. ij. misce distilla & utere ut supra. Hic est modus taliũ quẽ pro maiori parte damno.

¶ Ego bene

¶ Ego bene laudo istum liquorem infrascriptum & eo audacter utor & eo expertus sum transacto tẽpore apostematis. Recipe uini maluatici lib. i. aloes mirrhæ olibani sang. draconis ana unc. sem. misce & infundãtur per octo dies deinde prius simul cõquassatis oĩbus utere secundum artẽ ponendas duo uel tres guttas mellis rosati prius in fundo uulneris.

Liquor siue aqua laudata.

Expertum est.

¶ Alio etiam quasi simili utor cuius descriptio hæc est. Recipe uini maluatici lib. i. hireos farinæ oroby thuris minuti aristolog. rot. corticum radicis oppoponacis mirrhæ sarcocollæ sang. dracho. centaureæ ana drach. i. infundantur ut supra dictum est de alio & eodem modo utere. Istum modũ laudo: quia uinũ conceditur in uulneribus & aly læsionibus prædictis capitis. & ita etiã cõceduntur prædicti puluere ab Haly. à Gal. & ab Aui. & ab alys in fractura cranei maxime cũ administrãtur ĩ hora sua ut prædixi.

Expertum est.

¶ Hæc oĩa sufficere uolo quantum ad medicinas extrinsecus applicãdas. Ad modum autẽ primæ sectæ. s. cum potionibus operantium deuenio.

¶ Et dico idem quòd dicit Nicolus authoritate Theodorici quòd audacius isti curant cum potionibus infra dicendis si uocentur antequã alia uia & alter medicandi modus tentatus sit, maxime in uulneribus siue contusionibus recentibus in ulceribus tamen non curant si aliud actum sit.

quo tempore à prędictis detur talis potio.

¶ Guido tamen tenet & etiam ego tales potiones non multum conuenire in primis diebus.

¶ Aliquas alias differentias ponit Nicolus ad quas uolo quòd habeatur recursus. Non multum in hoc me extendo: quia ut supra dixi paucam adhibeo fidem istis potionibus.

¶ Dico tamen ego ultra potionem quòd & in uulnere & in ulcere si sint aliqua extranea debent remoueri puta ossa. tela spinæ & huiusmodi.

Extranea remouenda sunt & sutura et ligatura fienda.

¶ Et etiã debent labia solutæ cõtinuitatis iuxta posse teneri aperta cũ tẽta aliqua maxime cũ stipite cauliũ facta: quia conuenit cũ uirtute potionis.

¶ Etiam si indigerent talia uulnera sutura suantur. & etiam ligatura conuenienti uniantur & exprimantur prout requiritur in cura siue ligatura debeat fieri retentiua siue expressiua siue incarnatiua prout sciunt operantes artis.

Potio.

¶ Potio autem à me uisa & experta in dispositionibus à me supra narratis est hæc quæ sequitur uidelicet. Recipe foliorum & radicum rubeæ tinctorum. radicum aristolog. long. & rot. foliorum & rad. plantag. foliorum & radicum consolidæ maior. & min. foliorum & radicum gariof. foliorũ & rad. cẽtaureæ maior. ana. manip. ij. radicum altheæ summitatũ rubi summitatum lapatij acuti atanaceti millefolij pimpinellæ pilosellæ arthemisiæ sumitatum canapis. caulis rubei fragrariæ ana manip. i. thuris albi unci. ij. sarcocollæ unci. i. uini albi bocalia. xv. ponãtur omnia in uase terreo uitreato cuius pars media remaneat uacua & tegatur ut non respiret & buliat per tres horas mediocri igne. & coletur cui adde mellis lib. vi. & deinde buliat usq; ad quartæ partis cõsumptionem dosis est unci. iiij. singulo mane et totidẽ in sero. balneando uulnus cũ eadem supraponendo folium caulis.

Expertum est in ulceribus ac salibus.

Petio distillatur.

¶ Aliqui sunt qui distillant & dant tantũ in mane unci. iij. ego nunq̃ distillaui sed primo modo factam dedi & uidi quæ supra dixi.

¶ Quidã alter hæbræus satis mihi amicus & inter empericos fide dignus dedit mihi infrascriptam potionem qua utebatur sicut utitur præscripta. Recipe rad. rubie tinctorũ sem. canapis diptami albi bethonicæ semi. apij summitatum rubi radicum peoniæ foliorum pilosellæ. foliorum pimpinellæ. foliorum matrisiluæ. foliorum matricariæ. rad. ciperi & acori. foliorũ & rad. gariofilatæ. rad. liquiritiæ. rad. gẽtianæ. foliorũ & rad. fragrariæ. foliorũ capillorum ueneris. foliorum caudæ equinæ. foliorum agrimoniæ. foliorum centaureæ. foliorũ caulis rub. foliorum & rad. consol. ma. rad. aristolon. & rot. ana unci. i. reubarbari unci. sem. squinanti drach. iij. mellis lib. vi. uini albi lib. lxxx. fiat potio ut supra. Sunt etiam quædam aliæ potiones ab alijs descriptæ quæ parum laudantur ut prædixi à rationabilibus medicis.

Opinio Guidonis de potionibus.

¶ Et inter alios Guido de cauliaco in capitulo de fractura cranei totis uiribus dãnat hunc modum potionum istis uerbis. s. Non audiantur ergo uerba illorum Theodoricorũ & ianuensium qui se iactant omnem fracturã capitis cũ suis pigmentis & potionibus absq; chirurgia & ossis eleuatione curare &c. tamen quia superius promissi modum curæ cum potionibus & pigmentis illas decreui describere.

¶ Inquit Theodoricus de cura fracturæ cranei. sicut enim in cute superius dictum est talis fiat in capite ligatura quòd calor intrinsecus euaporare non ualeat nec exterior possit aer intrare.

¶ Hoc facto detur puluis quem dominus Vgo sibi appropriabat cum pigmento quòd ita fit. Recipe cinamomi unci. i. zinziber. albi unci. sem. melleghee drach. i. galange cardamomi piperis long. ana drach. i. gariofilorum numero. xy. granorum piperis numero. xv. fiat puluis. uini albi lib. v. mellis lib. i. buliat mel & uinum. parum post de prædicto pulu. addatur tantum quòd bene aromatizetur totum uinum & iterũ buliant omnia simul ut fiat pigmentum. post clarificetur colando de quo capiantur nouem ciathi parui cui misce puluerem magistri Vgonis qui est uidelicet. Modus Theodorici cum potionibus.

¶ Recipe pilosellæ pimpinellæ gariofilatæ genitianæ ualerianæ de omnibus folia. & rad. de gentiana radi. tantum ana excepta pilosella de qua capiatur q̃tum de omnibus ex eis fiat pulu. de quo ter q̃tum potest tribus digitis capi in prædicto pigmento ponatur pro quolibet ciatho & crucis signo facto in. N. P. &. F. &. Sp. s. & indiuiduæ trinitatis dicatur. dextera domini fecit uirtutem. Dextera domini exaltauit me nõ moriar sed uiuam & narrabo opera domini. Prædicta sic fiant prius facta deuota oratione ad dominum ut per prædictum puluerem liberet infirmum. Modus autem exhibitionis prædicti pigmenti est iste. In prima uisitatione cum infirmus comedere ceperit cum potum appetat inter comedendum dabis unum ciathum prædicti pigmenti modo prædicto scilicet cum signo crucis &c. In meridie inter cenam & prãdium dabis alium ciathum. In cena alium & si infirmus teneat prædictum pigmentum sine uomitu non soluatur caput: si uero euomat soluatur. Et si tumor adsit uulneri fiant pultes tales. Puluis Vgonis

Oratio dicenda in potione.

¶ Recipe folia maluarum cocta in uino & cum furfure fac emplastrum & super pone cum stuppa, semel mutando singulo die &c. Theodoricus tamen inquit quòd si fiat uomitus est pessimum signum, & quòd non sperat in emplastro prædicto & alias frascas recitat quibus parũ credo. Decoctio sticados sola multum laudatur. &. xv. continentis mumia in potu data summe laudatur in fracturis. Emplastrum theodorici cum potione.

Potio posita à Nicolo.

¶ Nicolus ponit unam aliam potionem & dicit eam ualere ad omnia uulnera & sanat in nouem diebus non mortalia tamen abstergit & ossa expellit. Recipe caulis rubei feniculi petroselini abrotani atanaceti fragariæ foliorum rubi. herbæ roberti plantaginis arnoglosæ foliorum canapis apij. nucis muscat. ana, in uino buliant cum melle bibatur mane & sero & balneetur uulnus extra de eadem & super ponatur folium caulis rubei. & isto modo procedatur.

Mesue ponit potionem.

¶ Reperiuntur multæ aliæ potiones ab alijs descriptæ etiam ab antiquis & unam ponit Io. mesue iunior ad uulnera sananda. de quibus ne tædio afficiam legentes sermonem postpono.

¶ De cura læsionis panniculorum & cerebri cum medicinis.

SEd quia de læsione duræ & piæ matris & etiam substantiæ medullaris cerebri non reperitur aliquis modus curæ ab aliquo authore descriptus ut hoc nostrum opus magis pingue ac delectabile & utile sit de uulneribus prædictorum membrorũ aliquid nobis apparet dicendũ: & maxime cũ interdum ut prædiximus ad manus nostras talia uulnera deuenerint, quæ duce diuino auxilio ad laudabilem finem terminatæ sunt.

Non debet fieri agitatio aliqua in uulnere cerebri.

¶ Dico ergo quòd si contingat uulnus esse in prædictis membris ultra omnem aliam curam medicus toto suo ingenio debet prohibere omnem motum fortem & animi & corporis ipsius patientis, nec debet fieri agitatio aliqua à medico nec manibus nec ferramento aliquo nisi leuissima in abstergendo & lauando & medicando ut dicetur.

¶ Nec aliqua sanies in labiis retenta debet abstergi opere manus: sed tantum aliqua lotione de infra dicendis: quia ex tactu & agitatione uiolenta in tam nobili & molli membro quale est cerebrum & pia miringa fit dolor & forte noua solutio unde fit exitus magnus medullæ & ita fit mors: Sed si non tangatur nisi modo antedicto natura succurrit loco & consolidatur uulnus & isto modo tactus prædictus ita leuis ad minus sit usq; trãsacta. xiiii. die. Deinde audactius potest medicus tractare prædicta uulne-

ra, leuiter tamen hoc fiat semper.

¶ Et à principio constricto sanguine cum ouo & aliis rebus conuenientibus ponatur in fundo uulneris lac mulieribus ab ubere nouiter multum & cum lauetur uulnus bis uel ter in omni medicatione mutando: lac etiam sit actu calidum uel lauetur tale uulnus cum uino maluatico, in quo bulierint rosæ rubeæ. Lac mulieris à principio.

¶ Deinde repleatur prædictũ uulnus lychniis intinctis prius uno uel pluribus secundum magnitudinem uulneris in prædicto lacte quæ tantum repleant fundũ, cætera uero lychnia quæ sint tãta quòd repleant totũ uulnus sint imbibita in oleo rosato omphacino & postea supra uulnus ponantur duæ uel tres peciæ lineæ magnitudinis unius palmi imbibitæ in prædicto oleo. Deinde totum caput etiam ungatur prædicto oleo. Deinde pãnis debitis & stuppa & fascia conuenienti læuissimæ ligetur.

¶ Et iste modus curæ fiat per quatuor dies usq; ad sex & non ultra. Deinde capiatur aliquod unguentum capitale de prædictis & ponatur super lychnia uel super syndone & talia lychnia cum unguento imbibantur in oleo rosato omphacino & melle rosato partibus æqualibus & sic repleatur uulnus & de prædicto unguento fiat una petia magna & ponantur supra uulnus prius unguento caput totum prædicto oleo rosato. Vnguentũ capitale cum oleo ro. et melle ro.

¶ Et unguentum quòd à me est usitatum in istis casibus & probatũ appellatur unguentum matrisiluæ quòd infra describam cum meo cerato humano & aliquibus aliis remediis loco suo quòd quidem ungnentum ego lauo cum lacte mulieris ter uel quater quo sic loto utor ad minus transacta nona uel decima die. Deinde utor prædicto unguento ut supra ipso non loto: quia tunc requiritur medicina magis calida & sic procedo, uerum est quòd paulatine ego amoueo de oleo rosato & addo de melle ita quòd circa. xiiii. diem utor solo melle rosato & sic deinde cum letionibus & pulueribus & meo cerato supra uulnus repleo illud carne lauando tamen si opus est uel cum spongia imbrocando uel cum syringa leuiter impellendo ad fundum uulneris iam ulceris facit ut exiccetur sanies quæ interdum est tanta quòd medici dubitant de ipsius exiccatione pro qua exic-

Cura ulcerum cauernosorum conuenit capiti

catione habeatur recursus ad curam ulcerum profundorum, quæ cauernæ & absco ſsiones appellantur ab Auicenna quarta quarti quibus tandē carne repletis adhibeatur consolidatio.

¶ Sed quia raro reperitur oleum rosa. omphacinum bonum ego capio oleum myrthinum & oleum rosatum partibus æqualibus & ipsis utor & mihi bene succedit.

¶ De cura contusionis factæ à Balista siue ut dicitur Sclopleto cum medicinis.

NOtent etiam iuuenes quòd interdum contunditur caput ab aliqua glande sine pila alicuius scopleti uel alterius similis instrumenti cui contusioni merito sulphuris & nitri & ignis inducitur mala complexio calida in loco & interdum escara quæ læsio inquantum ad opus manuale curatur ut aliæ contusiones.

¶ Medicinæ autem locales debent esse tales ut conueniant & contusioni & ignis cōbustioni. Et inter alias medicinas sæpe ego utor oleo rosato solo & optime confert transeundo ad exiccantia cum opus est, sed inter alias medicinas uidi ualere istam. ſ. Recipe olei rosati unci. viij. olei uitellorum ouorum unci. ij. uitri albissimi subtilissime pulueriza ti unci. ij. ceræ albæ unci. i. & semi. corticis medianæ. uirgultarum sambuci manip. i. & buliant omnia secundū artē & coletur & habebis unguentū cui non est par à principio usq; ad repletionē uulneris carne. Deinde consolidentur uulnera ut alia. & prædictum unguentum est mirabile in omni combustione ignis.

Vnguentū mirabile ad combustionē ignis.

¶ Sed in contusiombus istis prædicto unguento solum est utendum: usq; quo mala qualitas calida sit remota. Deinde curantur ut alia uulnera, multa alia remedia possem adducere, sed uolo medicos recurrere ad capitula combustionis ignis & contusionis & suo iudicio componant curam læsionibus appropriatam quæ facilis est apud legitimum medicum.

¶ Vnde est quòd fortior medicina requiritur intrinsecis uul. & aposti. capitis. & quid intelligatur per fortem medicinam.

REstat soluendum unum dubium à nobis supra positum de mente Gal. quarto ingenij capitulo. vij. & de mente Auicen. prima tertij tractatu tertio capitulo undecimo scilicet quòd fortiores medicinæ requiruntur uulneribus & apostematibus interioribus capitis quàm exterioribus.

¶ Cuius quidem duby solutio hæc est scilicet si medicina debet ad intra penetrare debet esse fortis ne resoluatur eius uirtus in uia & maxime in apostemate sine uulnere ubi est cutis densa & pericraneum & craneum & alij panniculi densi.

Medicina intus non penetrat nisi sic fortis virtutis.

¶ Sed ubi est uulnus etiam requiritur fortis medicina: quia illa sunt membra solida & dura excepta cerebri medulla & longe sicciora membris exterioribus. Et etiam in uulneribus exterioribus minor saniei quantitas aggregatur quam in interioribus propter eius magnitudinem & profunditatem ideo ut seruentur membra in sui complexione & ut exiccetur maior saniei quantitas requiritur fortior & potentior medicina.

In uul. interioribus maior saniei q̃titas quã in exterioribus.

¶ Quæ medicina altero duorum modorum dicitur debilis & fortis: primo aut quia est rare substantiæ propter quam de facili resoluitur eius uirtus sicut est in rosa & in camomilla & in similibus.

¶ Secundo uero modo ratione qualitatum eius dicitur medicina fortis & debilis. Medicinæ enim primi gradus uel temperatæ dicuntur leues. Aliorum uero graduum medicinæ dicuntur fortes siue sint ex mineralibus siue sint ex plantis siue ex animalibus, magis, et minus tamen secundum eorum substantiam Et sic intelligit Gal. vi. ingenij capitulo. vi. in fine dum dixit est mirum si dura pellicula ablatis ossibus forte nõ effugiat medicamen idest ualde siccum si magnum non habeat apostema quoniã eius substantia siccissima est.

Medicina intensæ qualitatis dicitur fortis.

¶ Sunt tamen multæ medicinæ à nobis superius positæ in cura uulnerũ exteriorum quæ sunt conuenientes læsionibus interioribus ponderata qualitate uulneris et diuersitate complexionum capitis quas considerationes relinquo considerationi periti et experti medici.

¶ Notent tamẽ medici quòd ad uulnera intrinseca in substãtia medullari

cerebri inquantum uulnera non conuenit medicina multum fortis in exicscando merito suae complexionis sicut conuenit panniculis solis laesis: ideo ad hoc toto suo ingenio aduertant medici qui si sint legitimi duce experientia prius, ut de mente Auicennae pluries dictum est inuenient praecisum gradum medicinae administrandae. Et sic cum dei adiutorio dicta sunt quae spectant ad secundum instrumentum medicinae cui finem impono.

¶ Cura fracturae cranei per chirurgicum instrumentum.

ARduum ac magnum omne, ac fere horrendum: quod est in medicina. s. opus manuale, ultimum medicinae instrumentum appellatū aggredimur, in quo duce omnium rerum parente, nō pauca utilia huius artis successoribus, iuxta uirium nostrarum quātitatem, nostraeq; experientiae condonabimus, ponendo solum curam solutae continuitatis capitis cum cranei fractura, & modū cuiuscunq; speciei de praedictis à nobis diuisim, qualiter sit operandum monstrando.

Maius est periculum in opere manus q̄ ī dieta et potione.

¶ Veni igitur ueni ueni sanctae spiritus & illumina, non minus mentem nostrā q̄ audentium, ad bene & lucide dicendum, & intelligendū, ea quae à nobis hic de ossis amotione incisione & eleuatione ubi necesse sit dicetur. Cum nullum sit maius periculum in alijs medicinae instrumentis, q̄ in isto maxime si indebite administrentur. Si autem operari ut requiritur. s. debito ordine modo & tempore contingat, ad tartara iam destinati reuocantur ad superos. Et hic loci non inueniuntur ianuensium nugae, simulq; nec iactantiae, nec aliorum deuiantium auia hippocratica.

¶ De tempore in quo debeat fieri ossis amotio.

SEd antequam ad aliq̄ operationem particularem deueniamus, uidendum est prius, quo tempore fieri debeat talis in craneo operatio. Cum earum alia subito uel q̄ breuissime fieri debeat, nullis interpositis temporis inducijs. Altera uero tardius, prout cogunt accidentium signa.

¶ Et de

¶ Et de tempore eligendo in quo os debet amoueri ab antiquis authoribus ad plenum dictum esse reperiamus, ut infra mõstrabimus, sunt tamen aliqui, dicentes quòd absolute non potest scire medicus hoc tempus. Cuius oppositum tenent Gal. Paulus, Oribasius, Haly. & aliqui alij. Et ego sum etiam huius opinionis, quòd præcise cognosci possit tempus tale, maxime distinguendo speties solutæ cõtinuitatis, cum suis differentijs quæ pro parte sunt istæ scilicet.

Opiniones an præcise cognoscatur tempus amotionis ossis

¶ Sit illa species, quæ empiasma, & antiaca, appellatur & alia speties marusis dicta siue monesis, siue hessena, quæ sunt speties in quibus os pungit uel grauat siphac capitis: quæ speties cognoscũtur ex signis supra positis, amouenda ossa absolute dicimus, in prima hora, uel parum post, uel sit alia speties Rhagamia, Darcam, siue capillaris dicta, intus penetrans, in corpore cacochimo, existente q; ægro, debito regimini medicinæ inobediente, quamuis adhuc nullum sæuum appareat accidens, absolute os amouendum dicimus, & quanto citius melius.

In quibus casibus in pria hora os amouẽdũ

¶ Sit & eadem speties, corpore uero mundo & forti, & medico obediente, dicimus etiam absolute sciri posse tempus tale. s. quòd expectanda sunt accidentia, quæ ut plurimum ueniunt in hieme ante. xiiij. diem uel circa. In æstate uero ante septimam.

Quãdo sint expectanda accidentia in ossis amotione.

¶ Constat ergo ex prædictis tempus absolute præcognosci posse in ossis amotione. Aliæ etiam speties sic cognosci possunt ut prædictæ.

¶ Totis igitur suis uiribus, insudet medicus differentias prædictarũ specierum uelle cognoscere, & absolute sciet an ossis sit fienda incisio, qualiter & quando.

¶ Et quia inter alia necessitatem ossis amouendi causantia duo sunt principalia naturæ horrida & extranea primo. s. sunt ossa grauantia & pungẽtia, siue alia aliqua extranea idem facientia, puta, tela, ligna, sagittæ, & plũbi, siue ferri, uel alterius rei extrinsecæ frustula.

¶ Secundo est sanies liberum non habens exitum, igitur de eis duobus principaliter sit sermo. Ab istis enim duobus tota ferè est sumenda cura, quia istis duobus per chirurgicũ instrumentũ magis succurrere possu-

mus, Ideo de istis hic loci fiet memoria, primo probando optimis authoritatibus absolute tempus amotionis ossis cognosci posse.

Oribasius de osse amouendo

¶ Et primo dico authoritate Oribasii, ut habetur. xv. continentis, cap. iij. in fine, præcognosci posse tempus absolutæ amotionis ossis in quacunq; dispositione, qui inquit. Debent serari ossa in hora qua accidit fractura, quotiens pungunt, ex concordia chirurgicorum, quæ nisi pungant, expectetur per tres dies, secundum quosdam, & plus & minus, ut colligatur sanies, & remoueatur craneum à matre dura. Et aliqui uident quòd debet fieri expectatio in quo nulla erit punctio, sub dubio nocumenti eruginis manantis & nocentis cerebro &c.

Ad minus ps ossis pungens amoueatur.

¶ Certe ex uerbis Oribasii, potest eligi absolute tempus amotionis ossis in qualibet dispositione de dictis. Vult. n. Oribasius, & non solũ Oribasius sed aliqui alij quòd ossa pungentia, sint extrahenda subito. Et si non secundum totum dicit tamen Gal. saltẽ secundum partem magis pungentẽ. Punctura. n. est illa quæ facit accelerare hoc opus. Et si non potest fieri in prima hora saltem fiat in prima die.

Gal. In quo casu in prima hora uel in prima die.

¶ Et hoc dixit Gal. ut apparet. xv. continentis istis uerbis. In quo accidit punctio & infestatio, incidatur os in prima hora passionis, aut in ipso die, quòd nisi incidatur in toto, euellatur aliqua pars ipsius pungens ualde.

Auic.

¶ Concurrit etiam Auic. cum prædictis in capitulo de fractura cranei inquit. Cum uero uerificatur necessitas extendendi aliquid, & incidendi illud, aut extrahendi ipsum, tunc festinetur, & non expectetur complementum generationis puris in loco. Et hoc quidem nisi ubi non est panniculus nominatus mater coartatus aut punctus, quoniam punctura facit in dispositione apostema & spasmũ. Et fortasse pducit ad apoplexiã. Quare oportet ut extrahatur illud os statim, et redibit sensus si fuerit apoplexia statim.

¶ Vides lector à quibus authoribus habes quòd ossa pungentia sunt statim extrahenda. & undisti etiam causam propter quid extrahenda sunt, hic & alibi. Si uero nõ sunt pungentia, non est ita festinandũ & non tantũ hoc dictum debet intelligi de osse pungẽte, sed de quacunq; alia re extranea.

¶ Sunt tamen aliqui casus in quibus non debemus transire secundum uel

tertium diē puta si esset manifesta perforatio, uel incisio talis qualitatis, & in tali corpore quòd necessario sanies esset aggreganda in profundo, & in osse non esset sufficiens orificium pro mundificatione necessaria, tunc quanto citius potest fieri, fiat apertio in osse, ut sanies possit expurgari, & ut medicinæ possint intromitti.

In quo casu circa secundū uel tertium diem debet fieri ossis amotio.

¶ Sed quia communiter in prædicto casu sanies incipit generari in tertia uel saltem in quarta die, ante generationem ipsius, debet aperiri uia, ne inducantur sæua accidentia. Ideo aliqui iubent fieri istam ossis amotionem in secunda uel in tertia die. Vnde Rasis ubi supra, credo etiam authoritate Gal. inquit. Id quod debet serrari de craneo capitis cū celeritate serretur, & non expectetur ut accidat de eo quòd descendat ad matrem cerebri erugo, sicut faciebant expectantes hoc, ut compleretur putredo & separaretur mater dura uel matercula à ceruice, unde cū cautela hoc debet fieri & notificare si mater dura non pungitur ab aliquo osse facto. Sed si pungitur non poterit, uel debet fieri expectatio dum fiat putredo tamē nisi fuerit aliquod prædictorum pōt fieri expectatio in modo moderato, ita quòd non transeat diē tertium, sed maior pars debet curari in die secundo &c.

Rasis authoritas. Gal.

¶ Aduerte tamen lector quòd superius dixi me credere istam authoritatem adductā. xv. continentis esse Gal. Hoc notanter dixi quia credo Galenum fecisse unū aliud capitulum quo caremus in fine sexti de ingenio sanitatis: quia re uera Gal. ibi in sexto capitulo incipit loqui de fractura cranei & iudicio meo non compleuit modum curæ uulnerum capitis. Igitur credo quòd deficiat septimum capitulum eiusdem libri. Et maxime cū Rasis ubi supra adducat authoritatem Gal. in septimo capitulo sexti libri. q̄uis à Rasi non dicatur cognomen prædicti libri sexti. Et hoc maxime dico quia uideo Gal. posteros. s. Paulum & Oribasium ad plenum dicere curam de læsione capitis cum fractura cranei. Et cū uideam Gal. adduci à Rasi ubi supra. Et ipse inter alios fuerit indagator causarum & effectuum medicinæ, de facto iudico nos non habere sextum librum Gal. de ingenio sanitatis complectum.

Non habemus librum sextum de ingenio sani. completum.

¶ Sūt præterea aliqui casus in quibus possumus expectare ultra tertium

Casus in quibus possumus expectare.vii. & xiiii. diem & ultra.

diem immo usq; ad.vij.in æstate & .xiiij.in hieme, & ultra etiam, secundum aliquos, qui casus sunt illi in quibus nos non sumus certi de crugine .i. sanie aggreganda super panniculos, quòd tempus potest præcise cognosci, quam quidem cognitionem indicant principia accidentium à sanie uenientium quia certe sanies non potest stare in tam nobili loco, sicut est locus inter craneum & durā matrem quin faciat aliqua mala accidētia puta febrem rigorē intellectus permixtionē & similia his, maxime quòd sit ibi clausa sine euentatione. & ideo cū medici uident principia talium accidentium debent accelerare ad ossis apertionem & ipsius amotionem: ut sanies possit inde expurgari. Si autem confirmentur accidentia. spernenda est cura, ut inquit Haly. quia æger ad interitum tēdit, Gal. etiam dicit. Si accidentia superuenerint.i. si perseuerauerint spernenda est cura.

In principio accidentium fienda est ossis amotio.

Accidentia interdum solum ueniunt à sanie intra craneum.

¶ Et quia talia accidentia ubi os non pungit uel non grauat & ubi dura mater non est incisa profunde non ueniunt nisi à sanie contenta ut supra dictū est inter craneum & duram matrem. Ideo authores dicunt determinatum tempus amotionis & incisionis ossis esse cum dura mater est separata à craneo. Et hoc prudenter dicunt: quia si fieret operatio talis ut requiritur in osse amouendo, stante dura matre craneo alligata maximum esset periculū de incisione eius immo impossibile est aliter esse quin lædatur stante ipsius forti colligātia quā colligantiam esse cū craneo per totū, ego forte præter alios recentiores medicos teneo ostensum est supra.

Accidentia arguunt miringā esse separatam à craneo.

¶ Oportet ergo quòd medicus uolens operari in osse cognoscat tempus separationis panniculi à craneo, quia aliter ægris posset mortē inducere. Tempus autem separationis est cū adsunt prætacta accidentia à nobis pluries dicta. Et tunc amouendū est os cum incipiunt accidētia & causa superius est dicta: quia tunc remotus est panniculus à craneo propter quam remotionem sanies habet locum in quo moratur quæ extractione indiget.

Ad paruam distantiam circa læsionem separatur dura mater.

¶ Aduertant tamen legentes quòd dura mater ad paucam distantiā circa læsionem est separata maxime illis qui sanantur, quia si esset tota separata ultra cōmissuras ut tenent multi rari sanarentur, quia non posset exicari sanies in distantia tali scilicet à commissura ad commissuram & sem-

per ſanies peteret decliuiorem partem uacui. & neceſſario ferre omnes læſi cum fractura cranei penetrante irent ad tartara quieſcant ergo dictis noſtris oppinoſi & certificent ſe in bona anotomia & non ſolum credant authoritatibus ſed experientiæ.

¶ Quod autem ſit uerum quod tunc.ſ.quãdo dura mater eſt ſeparata debeat fieri oſſis amotio probatur authoritate Oribaſij loco prædicto qui ſubiungit talia uerba. Quæ niſi pungant expectetur per tres dies minus & plus ut colligatur ſanies & remoueatur craneum à matre dura. Inquit etiã.Et aliqui uident quòd debet fieri expectatio in quo nulla erit punctio ſub dubio nocumenti eruginis manãtis & nocentis cerebro &c. Hic infert Oribaſius quòd quando ſumus in dubio an debeat fieri apertio an non, quòd debemus expectare nocumentum eruginis.ſ.ſanei cerebro nocentis. quod nocumentum cognoſcitur ex accidentibus inferens quòd accidentia ſunt illa quæ mõſtrant durã matrẽ eſſe ſeparatam & tunc os eſt incidẽdũ.

Oribaſius.

Expectetur nocumentum ſanei antequam aperiatur os.

¶ Quod etiam talis inciſio non debeat fieri niſi ſit ſeparata dura mater monſtratur.xv.continentis ubi ſupra authoritate Pauli. Inquit requiruntur ſigna ſignificantia ſuper remotionem panniculi quòd niſi inueniantur conſolidentur,ecce quòd Paul.uult quòd non fiat operatio alia niſi conſolidatio ſi panniculus non ſit ſeparatus,quòd quidem tempus ſeparationis uel aggregationis ſanei ſi debeat aggregari aliquid cõmuniter ab authoribus ponitur eſſe in æſtate ante ſeptimam diem,in hyeme autẽ ante.xiiij.

Raſis authoritate Pauli expectetur duræ matris ſeparatio in oſſis amotione.

In æſtate ante vii. in hyeme ante. xiiii. diẽ in regiane Pauli.

¶ Quod quidem tempus ponitur à Paulo ubi ſupra immediate inquit & ſi inuenitur.ſ.panniculus ſeparatus incide os, ſed ſtude ad incidendum os in his locis.ſ.in regione ſua in hyeme ante.xiiij.diem.Et in æſtate ante ſeptimam.Antequam accidant illa accidentia mala prædicta.

¶ Aduerte bene lector quòd ubi medicus aliquo ingenio poteſt cognoſcere oſſis amotionem neceſſariam fore per cauſas à nobis ſupra dictas quanto citius aperitur tanto melius eſt nec expectari debent accidẽtia nec prædicti dies ſcilicet.vij.aut.xiiij.

¶ Nota etiam quòd prædicta authoritas Pauli eſt adducta à Nicolo pro authoritate Gal. Sed eſt Pauli prout patet cuicunq; legenti ſed credo

quòd sit error impressoris Nicoli.

Haly. in æstate ante. vii. in hieme ãte. xiiii.

¶ Nota etiam quòd Haly. concordat de tali tempore cum Paulo: nam nono practicę capitulo de fractura cranei inquit. Si aũt siphaos separatus est & contingit patienti uulnus hiems quæ est, oportebit partes ossium omnino educere ante. xiiy. diem. Si uero æstas ante. viy. priusq̃ quæ diximus illi oriantur accidentia.

Albucasis concordat in. vii. et in. xiiii.

¶ Cum istis etiam de tempore tali cõcordat Albucasis libro tertio suæ chirurgiæ capitulo tertio inquit. Et si uides accidentia non terrentia, te. i. non multum fortia. Et talia sunt in principio quãdo sanies incipit ebulire sub craneo & speras salutem tunc incipe in curatione eius quòd est si uenit ad te uulneratus in primis cum uulneratur. & est illud in diebus hiemis tunc oportet ut studeas in ablatione ossis ante diem. xiiy. secundum omnem dispositionem. Et si est in diebus æstatis tunc oportet ut properes remouere os ante diem. viy. anteq̃ corrumpatur quòd est sub osse expanniculo & accidant accidentia illa quæ narrauimus.

In æstate citius fit ebulitio & putrefactio.

¶ Ratio autem propter quid fit citius in æstate q̃ in hieme operatio talis est ut inquit Dinus. & Nicolus & Aly. quia in æstate citius accidit ebulitio & putrefactio, in hieme uero tardius.

Auic. dicit. vii. diem & x.

¶ Auic. tamẽ uisus est discordare ab istis de tempore qui inquit. Et oportet ut non tardetur illud æstate ultra. viy. dies in hieme autem ultra. x. & quanto fuerit citius erit melius & longinquius ab hoc ut accidant nocumẽta magna &c.

Aliqui dicunt textum Auic. esse corruptũ.

¶ Sunt aliqui dicunt quòd cũ. x. dies non sit critica non possunt cogitare nisi quòd textus Auic. sit corruptus & male traductus: quid autem sit parũ refert cum alibi dicat Auic. q̃to citius tanto melius &c. Miror tamen quòd Gal. dicat ubi supra quòd potest fieri expectatio putredinis in modo moderato ita quòd non transeant diem tertiam dicit quòd maior pars debet curari in die secũdo. Certe à Gal. ponitur tempus angustũ. Credo tamẽ ego quòd Gal. intelligat de magna fractura propter quã medicus cognoscit stantibus alijs cõditionibus ulterius non posse expectare: differentia hæc inter prætactos authores à bono medico de facili cognoscitur.

Gal. opinio.

¶ Nota tamen lector quòd ego credo ut ad prænarrata accidentia inducenda & ad incisionē accelerandam concurrant aliqua alia q̄ anni tempus .s. quòd concurrant & ætas & regio & complexio & humorum conditio & similia: quia credo talia accidentia citius euenire in iuuene & etiam tardius secundum corporis dispositionem q̄ in sene, si uentura sint. Et citius in complexione calida & humida q̄ alia. Et in humore calido & humido citius quàm in alio. Et causæ sunt alibi scitæ. & ita de regione est cogitandum ideo dixit Paulus in his locis est facienda operatio scilicet in regione sua. Et forte Auic. dixit de. x. die & non de. xiij. quia eius regio erat ualde calida ideo ex prænarratis potest iudicari unde est quòd citius ueniunt accidentia in uno quàm in alio licet ad accelerationem accidentium concurant multum conditiones læsionum prædictorum: quia si magna est læsio cito ueniunt accidentia. Si uero mediocris & ueniunt mediocriter & tarde accidentia. Data uero paritate in læsione prædicta accelerantur & tandantur accidentia à causis antedictis.

Alia conaurrūt ad ossis amotionem q̄ anni tempus.

Forte q̄ Auic. dixit. x. diem propter regionem.

¶ Non est ergo mirum si interdum potest transacta. xv. die fieri apertio in osse sicut recitat Mapheus de laude in sua quæstione de fractura cranei qui post. xv. diem amouit os in certo comite in capite pro sanie expurganda & sanatus est.

Post. xv. diem fit ossis amotio.

¶ Ad hoc propositum tamen dicit Nicolus. Certe est putandum quòd ossis incisio fieri non debet nisi necessitas cogat te. Et ista necessitas determinatur ex inceptione aliquorum accidentium malorum, quibus uisis statim ad incisionem medicus debet deuenire. Et ita re uera est procedendum.

Nicolus de hora amotionis ossis.

¶ Aduerte tamen lector quòd interdum ueniunt accidentia prædicta & os non inciditur & etiā sanatur æger. Et istum casum coactus uidi. Curabam quasi me uiolente Bononiæ quendam Martinū boletarum nuntium qui fuerat ense non multum subtiliter incidente uulneratus in capite. In craneo cuius erat fractura ferè capillaris. maior tamē & penetrant intra, sine panniculi læsione. Circa decimam diem uidi accidentia separationē panniculi monstrantia statim ego uolui os incidere & fixurā ampliare

Exemplum.

sed ille quidem nunquam fuit consentiens. tamen ego procedebam in cura cum attrahentibus & semper per rimulā illam exibat notabilis saniei quantitas dum ei imperarem, quòd impelleret à pectore ad caput aerem. & ita sufflando notabilis saniei quantitas exibat tamen semper habuit febres & rigores & inquietudines fere usq; ad quinquaginta dies. tandem natura separauit totum os capitis à dura matre usq; ad superficiem ossis ad quantitatem hostiæ paruæ. Et sic dura mater erat iam carne tecta & iste sanatus est. Verum est quòd iste erat iuuenis & fortis complexionis. Hoc dixi ut monstrem quid possit facere natura etiam si non fiat cura regularis. & hoc uidi etiam in alijs & res bene successit adhibitis medicinis debitis. s. attrahentibus & maxime stante uirtute regitiua totius forti sicut fuit in casibus istis.

¶ Exprænarratis igitur tam hic in isto instrumento quam alibi supra, potest cognosci tempus aperiendi & amouendi os. Dico tamen cum Nicolo quòd non est os amouendum nisi necessitas cogat: quia sæpe sanantur aliqui absq; ossis amotione cum medicinis debitis quos medicus non cogitabat sic sanari posse. & hoc pluries apud me fuit uerificatum & etiam apud alios practicantes.

Aliq; sanantur absque spe medici.

¶ Quomodo aūt ista ossis amotio debeat fieri infra dicemus particulariter & secundū differentiam specierū ita differentem ponemus modū amouendi os locis suis monstrando instrumenta ingeniosa ac tuta satis.

¶ Antequam tamen ad hoc dicendum ueniam non nulla medicamina per me experta describam loco suo & non expectes à me multitudinem medicaminum sed solum unum meum ceratum & unum aliud unguentum cū quibusdam pulueribus & certis liquoribus & lotionibus quibus ego fere semper usus sum, quamuis multa alia expertus sim infrascriptis tantum utor nunc, nec ad alias me conuerto medicinas sequens mandatum Ioan. Damasceni in suis aphorismis qui inquit.

Medicina approbata est utēdum secundū Damascenum.

¶ Tu autem ea quæ palam sunt & in quibus omnes conueniunt & maxime quæ probasti tene. quæ uero in dubio sunt & in quibus dissentiunt omitte. Certe nullus rationabilis medicus potest infrascriptas medicinas corri-

pere maxime

pere maxime si in tempore suo ut decet administrentur.

¶ Inquit etiam Medicamina tibi pauca tenenda sunt nisi quorũ iuuamento sæpius expertus confidere possis. Totius enim multitudinis notitia incomprehensibilis est: nam cũ per singula uolueris inquirendo discurrere multiplici diuersitate sensuum distractus in nullo poteris fidem habere. Rerum proprietas dubia est eam namq; multi olim experientes arbitrati sunt facere à proprietate quòd plerunq; faciebat natura.

Pauca medicamina tenenda sunt per Damasænum.

¶ Auic. etiam secundo canone & quinto in principio inquit & scias quòd medicina experta melior est non experta & parum medicinarum melius est plurimo earum intentione una.

Auicen. opinio de medicinis.

¶ Et etiam Haly. in secundo sermone partis secundæ inquit tutius est uti inuetis q̃ uti nouis experimentis, in experiendo enim medicamina corporibus hominum periculum iminet animarum, & in periculis communior & probabilior uia est tenenda. Istis ergo motus cõtentor paucis remedys. multa tamen remedia superius notaui de mẽte authorum peritorũ. & quæ per me experta sunt dixi ut si contingat unã non habere medelam possit haberi altera. Et ita hoc nostrum opus erit magis utile & acceptabile.

Haly. opinio de medicinis.

¶ Sed etiam anteq̃ ulterius procedam dicendum est etiam aliquid de loco in quo tutius operandum est in capite quo dicto quanta ossis pars amoueri debeat dicetur, post hoc quæ nam magis conueniat medicina an sicca an humida erit uidendum. deinde particulariter medicinas à nobis parum ante dictas trademus.

¶ De loco à quo ossa amouenda sunt.

DE loco autem eligendo ubi in craneo ossis apertio & ossis amotio debeat fieri ut inquit Nicolus authores notant quòd sunt tres intentiones quæ determinãt locũ fiẽda incisionis in craneo.

Tres intentiones indicant locum fiende amotionis ossis.

¶ Prima est situs loci: nam debet fieri in decliuiori loco quia melius inde expurgantur superflua.

¶ Secunda est ossis qualitas aut quia nimis grossum aut quia nimis du-

rum: quia quamuis conueniret ex parte situs non conuenit propter duritiem & grossitiem ideo dixit Gal. sexto ingenij. Scio nanq; quoniam cuiusdam caput uidi craneum cuius fractum erat: & os quòd tempora dicitur passum est: tunc tempora dimittens os quòd erat in craneo incidi & æger sanitati est restitutus & adhuc uiuit. Quod si craneum posti ponerem necessario pelliculæ quæ sub eo erant putrefierent priusquam os solidaretur: quia nisi saniem à superioribus ad inferius scirem semper descensuram incisio ossis non esset utilis &c.

Exemplũ Gal.

Aliud exẽplũ.

¶ Inquit præterea quendam alium uidi in capite sicut prior habentem tunc arbitratus sum dimittere os quòd superius erat. & incidere ea quæ iuxta illud erant ut sanies haberet locum fluendi. Cũ q; grossiciem huius ossis & duriciem considerarem uidi magis esse utile ut os quòd superius erat abscinderetur q̃ ut in sanie studium imponeretur quoniam timui ne cerebrum moueretur. Item recordatus sum quoniam si latum foramen fieret in ossibus lateraliter existentibus causa huius cerebrum descenderet & foras exiret.

Textus optimus à Guidone adductus.

¶ Prædictum textum recitat Guido sub alys uerbis dicit. Vidi deniq; bregmatis quidem os fractum: quod uero est deinceps os uocatum temporis ubi squamiformes immissiones esse accidit usq; ad multum maximam habens scissuram quam nos omnino non tangentes sed solum abscindentes: ea quæ bregmatis curauimus hominẽ ut adhuc uiuat ab annis multis. Si uero his quæ bregmatis reliquerimus ita putrefiet utiq; supposita mirinx ante q; porosaretur fractura.

Primus textus Gal. à multis male intelligitur.

¶ Aduerte lector quòd textus primus Gal. obscurus est lucidus uero & clarus e textus secundus à Guidone adductus tamen idem dicunt & amborum eadem est sententia: & dicit ibi Gal. quòd habuit quendam casum in quo craneũ erat fractum & etiam os temporũ. s. quòd caput erat fractũ in duobus locis sicut etiam dicit litera textus Guidonis. s. in suprema parte capitis ubi sunt ossa bregmatis quæ sunt duo tantũ, quæ ossa craneũ appellant medici & maxime Auic. prima primi cap. de anotomia cranei. fractũ etiam erat caput in ossibus temporũ. & Gal. in operando tantũ incidit cra

neum nō autem partē inferiorē. Et ratio fuit quia in tēporibus erat magna fixura sicut dicit textus Guidonis, à qua libere fluebat sanies: in superiori autē parte nō ita libere potest exire sanies sicut à lateribus: sed si ibi sanies aggregatur. s. in uertice illa corrumperet cerebrū: quia situs non est aptus ad expurgationem sicut situs temporum & ita ille sanatus est.

¶ Sed altera uice uenit alter similis casus in quo Gal. uolebat partē inferiorem aperire, sed cōsiderans quòd os erat durū & grossum ibi in temporibus dubitans de motu cerebri & de eius exitu si magnum fieret foramen dubitans etiam de periculo læsionis neruorū ab isto loco exeuntium iterū aperuit in superiori loco. s. in craneo siue in bregmate & iste etiam sanatus est. & ideo ultra situm, etiam ossium qualitas & nerui exeuntes à craneo uariant locum incisionis fiendæ.

Ossium qualitas & nerui exeuntes mutare faciūt locū.

¶ Nota tamen lector quòd loca à quibus exeunt nerui ab osse capitis sunt ualde profunda.

¶ Nota etiam quòd illa ossa temporum in aliquibus locis non sunt multū grossa. sunt bene duriora craneo prædicto.

¶ Sed si daretur casus in quo solū os temporū esset læsum ego non essem tantæ audaciæ quòd uellē in craneo facere perforationem. s. in bregmate: quia nescio cogitare modū per quē sanies ascendere posset ad superius tā remotæ. & tāto magis stāte sanie inter durā matrē & os tēporū: quia sanies semper aggregatur in loco percussionis quæ sanies non posset ascēdere ad ossa bregmatis quia de facto inter tēpora & ossa bregmatis dura mater esset alligata in aliqua pte cranei quæ alligatio intermediaret ascēsum saniei.

Opinio authoris.

¶ Et etiā esset crudele uelle aperire ad tantā distantiā à prima læsione. s. à tēporibus ad uerticē uel circa. Et q̄uis Gal. dicat in tēporibus nō aperuisse pp duritiem & grossitiē & pp neruos exeūtes & pp exitum cerebri. Ego tamen audacius aperirē in osse temporū stante ibi læsione, q̄ in bregmate ubi nō sit læsio, obseruando prudentiā. s. faciēdo honestū foramē & post foramen ordinādo ægro situm iacendi cū capite taliter quòd sanies exiret & nō cerebrum & etiā fugiendo loca neruorū & quærendo locū in quo os sit magis subtile deīde bonis & tutis instrumētis operādo minus esset periculū

sic faciẽdo quam obseruando exempla prædicta male intellecta à multis.

¶ Dicunt & aliqui quòd maximum est periculũ operari in loco cõmissurarum uel propè quia per cõmissuras egrediuntur multi nerui & etiam uenæ & arteriæ sicut dicit Auic. prima primi cap. prædicto. immo si fixura sit continuata cum cõmissura uel etiam si sit propè eam dicunt fieri debere amotionem ossis sani continuati cũ osse laso longe à commissura.

Aliquorũ opinio de operatione circa cõmissuras.

¶ Nota lector quod quamuis arteriæ & uenæ & etiã nerui reperiantur inter cõmissuras non propter hoc mẽdicus semper debet cõmissuras fugere in operando nam possunt reperiri aliqui casus in quibus ita necessaria est ossis amotio in cõmissura sicut alibi. s. si contingat caput laedi notabiliter in loco cõmissurarũ ob quòd statim uel ad tẽpus cõtingat ibidẽ duram matrem esse separatã tunc in cõmissuris operando nullum fiet nocumentum uenis nec arteryis: quia iam sunt separatæ & à craneo distantes.

Opinio Auicenne de operatione in commissuris.

¶ Et hanc operationem ego feci pluries nec cognoui differentiam aliquã ab alys locis. Et ita est operandũ quia bene succedet res. Verum est quòd non est nisi prudenter actum ad plura aduertere dum modo fiat operatio in loco ut locus bene expurgetur.

¶ De quantitate ossis amouendi.

Opinio Auic. de q̃titate ossis amouendi.

DE q̃titate uero amotiõis ossis fiẽdæ notat Auic. ca. de fractura cranei authoritate Hip. & Gal. dicit una litera. alia litera Pau. & Gal. quòd nõ aportet quòd incidatur ex osse nisi illud quòd est infirmũ nam illud quòd ex eo est comminutum uehementer oportet ut auferatur totum. In illo autẽ ex quo extenduntur fixuræ extensione plurima nã illud quando accidit non oportet ut tunc cõsequaris fixuras usq; ad finem earum. Et scias quòd non accidit propter hanc causam res nociua quando in reliquis operationibus quæ oportet ipsum facere est secundum quòd oportet &c.

Opinio Gal. de q̃titate ossis amouendi.

¶ Hæc sententia est etiam posita à Gal. sexto ingenij cap. vi. inquit. Si uero os totum fractum sit necesse est ut totum auferatur donec ad sanum ueniat locum. Si uero non sit fractum neq; contusum non totum aufera-

tur, sed quòd scitur esse nociuũ & non posse manere quòd multotiens ego feci & non errorem incurri.

¶ Nota tamen quòd ista ossis quãtitas mensuratur ab experto secundum quantitatem & qualitatem saniei contentæ: quia ubi est minor saniei quantitas requiritur minor uia ad expurgandum & ita si sit grossa uel subtilis indiget magna uia uel parua. Opinio authoris de q̃ntate ossis amouẽdi.

¶ Mensuratur etiam secundum quantitatem panniculi alterati ut possit fieri abstersio & mundificatio actu etiam cum operatione manus & medicinis simul in panniculus.

¶ Mensuratur etiam secundum quantitatem alterius rei extrahendæ.

¶ Mensuratur etiam talis quantitas penes locum: quia in uertice maior pars ossis mouetur q̃ ante & retro & à lateribus: quia situs iuuat ad expurgandum saniem & etiam in inferiori parte capitis multa quantitas ossis non est amouenda ne cerebrum foras exiret. & etiam ne ex magno foramine rumperentur nerui exeuntes caput qui sunt à lateribus & in parte posteriori magis q̃ alibi.

¶ Et ideo dicit Nicolus quòd non est nisi maximum periculum in parte posteriori os remouere ut dicunt quidam maxime cum dicant nunquam se uidisse nec audiuisse aliquem qui euaserit in quo ossis amotio facta fuerit posterius. In parte posteriori amouere os ẽ periculosũ.

¶ Tamen ego dico aliquotiens me uidisse oppositum. Et hoc inter alios uidi in prædicto Domino Paulo Vngaro quem superius adduxi pro exẽplo de incisione cerebri qui inter alia uulnera habebat uulnus magnum in parte posteriori capitis inferius uersus collum à quo in prima uisitatione amoui notabilem ossis partem & tandem euasit. Exemplum.

¶ Est etiam tibi notum inclyte Principes quòd cum instrumentis sufficientem ossis quantitatem in capite tuo in parte posteriori amouimus. & tamen optime conualuisti. Aliquos etiam alios uidi. & ita hæc sufficiant de quantitate & loco amotionis ossis. Exemplum.

¶ De qualitate medicinæ capiti applicandæ.

VIso tempore & loco & quantitate ossis amouendi ad medicinas tunc & etiam ante approximandas est recurrendum. Et quia uidetur quòd Gal. sexto ingenij capitulo sexto in fine ponat dubium inter medicinas approximandas. s. an debeant esse complexionis siccæ uel humidæ istis uerbis.

¶ Dicto quòd de his erat dicendum restat ut de medicinis ossium capitis disputemus & qualiter post incisionem sit studendum notificemus.

Gal. de medicina doloris sedatiua.

¶ Dico ergo ut osse capitis inciso medicinam doloris capitis mitigatiuã imponamus sicut pluries medici fecerunt hoc tempore. An aliud huic rei oppositum. i. siccissima quam methos semper laudauit similiter quidã senior in ciuitate nostra solitus est facere super pelliculas nanq; quæ sunt sub craneo quas denudabat ab osse mox ponebat unguentum quòd dicitur ethisios & super hoc unguento ponebat mel & acetum mixtum, his quidem senex erat studiosus in hac medicina nec etiã ab ullo eam in hoc loco fieri uidi nec ego audaciã habui ut eã facerẽ. De hoc suus testis ero ante deum quoniam plures ab eo cum hac medicina curati sunt in asia q̃ ab illis qui medicinam doloris mitigatiuam ponebant. Qua propter uolui eam probare cum in asia eram. Sed nunc quoniam Romæ sum eam post posui quoniam sequutus sum chirurgicos Romanos.

De medicina ficæ per senem appliata.

Interdum medica sequuntur remedia usitata locorum.

¶ Sed cum inquisiui essentiam naturæ rerum recordatus sum cuiusdam rei quam experimento probaui. Dico ergo foramen aurium ad quod auditus penetrat non solum ad duram pelliculam ascendere. Sed etiam ad neruum auditum in auriculas ferentem. Vnde quoniam foramen illud, illi uicinum est pelliculæ & neruo qui de cerebro oritur & fortem sustinet medicinam sicut dicimus non est mirum si dura pellicula ablatis ossibus forte non effugiat medicamen si magnum non habeat apostema. quia substantia eius siccissima est &c.

Alexander.

¶ Et Alexander medicus etiam commẽdat senem cum sua medicina sicca ut inquit Iacobus de partibus.

Author megategni.

¶ Et etiam sexto megategni capit. ultimo de fractura cranei scribitur festinanda sunt quæ carnem ibi creent quæ siccatiua medicamina sunt &

prohibenda sunt quæ mollificant & putrefaciunt sicut cera & oleum & similia, hæc nisi fecerimus non sumus securi quòd non oriantur molestissima & lætifera accidentia. ossa uero quæ sunt expellenda cum magno timore & cautela extrahantur.

¶ Iste superior textus est adductus à Iacobo de partibus qui non habetur in nostro megategni tamen etiam in nostro laudatur medicina sicca.

¶ Ideo ad declarationem talis dubij est deueniendum cum etiam reperiãtur aliqui qui solum procedunt osse inciso & amoto cum oleo rosato sicut apparet per Rasim. xv. cõtinentis authoritate Pauli & inquit. & super pone siphac pannum infusum in oleo rosato & uino &c. Rasis authoritate Pauli laudat oleum ros.

¶ Serapio etiam de cura sodæ à percussione inquit. Si uelamen durum detectum fuerit fundemus super illud oleum rosa. tepidum tantum quòd si non fuerit detectum addemus ad oleum parum aceti. Serapio.

¶ Auic. etiã in capitulo de fractura cranei. Amplius oportet post curationem cum ferro ut accipias pannum lini extensum in quantitate oris uulneris & infunde ipsum in oleo rosato. & cooperi cum eo os uulneris. deinde accipe pannum duplicatum aut triplicatum & infunde ipsum in uino & oleo rosato & linias uulnus totum oleo rosato. Auic.

¶ Ordinant etiam ligaturam leuem latam & regimen contra inflammationem & alia similia deinde carne repleri iubet &c.

¶ Inquit etiã Albucasis. Accipias pãnum lini secundum q̃titatem uulneris & submerge ipsum in oleo ro. & pone ipsum super orificium uulneris. Deinde accipe alium pannum duplicatum uel triplicatum & ipsum sũbmerge in oleo rosa. & uino & pone ipsum super pannum primum & fac istud quanto facilius potest super illud ut non grauetur siphac. Albucasis.

¶ Visis istis opinionibus contrarijs est uidendum cui opinioni sit adherendum certe ad literam Gal. tenet medicinam exiccatiuam magis conuenire in læsionibus capitis penetrantibus pro ut superius dictum est per ipsum & experientia in asia per ipsum uisa. & per rationem complexionis membri quòd est siccum. Opinio Gal.

¶ Idem etiã dicit Alexãd. & author megategni dicimus etiã durã matrẽ

esse neruecam, sed in uulnere nerueorum cum detectione ipsorum: dato etiam quòd attendamus ad prohibitionem apostematis nunquam intra uulnus imponitur oleum ros. quoniam putrefaceret. ita etiam dicimus oleum rosatum supra duram matrem non debere poni.

Paulus. Serapio Albuacsis. Auic.

¶ Oppositum tamen tenet Serapio Paulus & Auic. & aly multi. s. quòd melius est incipere post detectionem & in omnibus uulneribus penetrantibus intra craneum cum medicina doloris mitigatiua. s. cum oleo rosa. q̃ cum ualde sicca medicina, sicut etiam inquit Gal. tertio ingeniy cap. viy. quòd prius sit uacandum accidentibus q̃ solute continuitati maxime apostemati & quòd seruanda est membri complexio sed quia in omnibus uulneribus capitis & post ossis amotionem statim currunt humores & maxime calidi ad locum ideo cum frigidis & aliqualiter stipticis est procedendum sicut est processus cum oleo rosato.

Prius est uacãdũ acadẽtibus.

A aura magis suspecti morbi incipiendum.

¶ Auic. etiam quarta primi cap. ultimo dicit quando inuicem duo coniunguntur morbi aut est suspitio ne coniungantur incipiendum est à curatione illius quòd est magis suspectum. uel illius sine cuius curatione alter curari non potest. Sed ad prædicta uulnera est aptitudo ut eueniat apostema in panniculo cooperiente & spasmus & talia quæ uulnere molestiora sunt. ideo post talem detectionem ossis in talibus uulneribus etiam sine ossis eleuatione melius est administrare ea quæ doloris sedatiua sunt & apostematis, maxime quousq; simus tuti à talibus accidentibus. & postmodũ administrare ea quæ ualde exiccant ut ulcus carne repleatur & consolidetur.

A principio melior est me. doloris sedatiua quam sicca.

Oleo ro. pauco tempore procedendum.

¶ Attende tamen operator quòd licet tutius sit incipere post ossis amotionem cum oleo ros. propter rationes prædictas tamen in processu cum oleo est attendẽdum ut q̃to citius possibile est remoueatur eius administratio quia uulneri inquantum uulnus est, non conuenit: nec est conueniens cõplexioni membri. & ideo nimius eius usus inducit putrefactionẽ & in isto casu errant multi medici sed cõmuniter doctores laudat per tres dies uel parum ultra usum olei ros. Sed incipiunt permiscere secum mel ros. & uinum & aliqua exiccantia magis & minus secundum accidentia uisa. Et sic dicunt multi Gal. uoluisse hoc dicere. vi. ingeniy. & ita Alexandrum & authorem

Per tres dies uel parum ultra oleo ro puro utendum.

thorem megategni.

¶ Ad id autē quòd dictū est quòd non ponimus oleum ros. in uuln. neruorum dato quòd in ipsis sit dubiū de euentu apostematis est dicendum quòd quamuis pāniculus sit neruosus non totaliter conuenit cū neruo. & in uulnere nerui non est tāta agitatio in humoribus sicut in uulnere capitis propter cōmotionem factā in osse amouendo ob quā conuenit in capite magis usus olei rosati ut repercutiat & cōfortet sed in uulnere nerui est alia ratio impediens. s. quòd ut plurimū materia est inbibita uel inbibēda in neruo ob quam si administretur oleum ros. fiet putrefactio illius materiæ & sic corrumpetur neruus. Panniculus aūt est subtilis in se paucam potens recipere materiam respectu nerui ideo in capite conuenit oleū ros. In alijs uero mēbris ubi sunt nerui non. & sic apparet quòd in principio conuenit olerū ro. in fine uero medicina sicca. & sic uidetur esse responsum ad obiecta.

Non est simili tudo inter neruorū uulnera et panniculorū

¶ Verum est quòd non semper post ossis amotionem est ponēdum oleum ros. sed aliquando. & interdum etiam medicina sicca & abstersiua est ponenda prout requirit dispositio: quia interdum medicus incidit os & illud amouet sub quo osse inuenit panniculum sanum non alteratum notabiliter & tunc procedit cum oleo ros. ut supra dictum est.

Interdum conuenit osse amoto oleum rosa. interdum non.

¶ Sed interdum inuenit panniculum alteratum etiam paratum putredini & tunc procedere supra panniculum cum oleo ros. esset extra propositum: quia augeretur corruptio & putrefactio. Sed tunc est procedendum cum mundificantibus & putrefactionem impedientibus & talia sunt siccæ complexionis. ideo non semper est procedendum cum medicina doloris sedatiua.

¶ Et si contingat quòd ex commotione capitis & ex dolore causato in abstractione ossis curant humores ad locum illos diuertimus alia uia q̄ cum medicina locali doloris sedatiua puta euacuatione & diuersione conuenienti. Et localia ponimus tantum circa caput quæ sint sicut est oleum rosatum: quia aliter non potest fieri. uerum est quòd istæ medicinæ siccæ tunc administrandæ debent esse graduatæ secundum gradum alterationis panniculi: quia si non multa fit corruptio apponimus oleum ros. simul

Alteratio panniculi debet attendi.

cum melle rosato modo plus de oleo rosato modo plus de melle rosa. secundum alterationem.

¶ Sed etiam raro est quin ponatur aliquid mellis rosa. in oleo maximè cum raro amoueatur os quin sub eo reperiatur sanies aliqua: maxime si operatio sit canonice facta: quia sunt bene aliqui qui interdum decipiuntur scilicet quòd amouent os non amouendum & nihil sub illo reperitur de sanie nec de alteratione. & tunc non conuenit mel rosa. sed solum oleum rosatum.

¶ Vel quòd etiam canonice est operatum in osse amouendo & non reperta est sanies in loco quia nondum erat ibi genita puta quòd fuerit facta ossis amotio in prima hora uel primis diebus læsionis propter os pungẽs uel grauans uel propter aliquid aliud extraneum in capite fixum, uel quòd cito medicus amouit os dubitans de necessitate illud amoueri debere. Et q̃to citius potuit medicus illud amouit.

Vbi non sit sanies solo oleo est procedendum.

¶ Et in omnibus istis casibus in quibus non est adhuc sanies solo oleo ros. est procedendum modo & uia à nobis parum ante dicta. Et ita in qualibet læsione capitis etiam dato quòd non requiratur ossis amotio cum oleo rosato est procedendum ut prohibeatur aduentus apostematis maxime in principio & ita per gradus uenire ab oleo ros. ad mel ros. sicut currit tempus in prædictis uulneribus, prædicta omnia remittens semper in existimatiua boni & legitimi medici: quia accidentia uenientia: & non uenientia faciunt uariare curam talem.

¶ Sed quia dixi superius oleum rosatum solum non conuenire nisi circa tertium uel quartum diem quia est putrefactiuum, tamen sæpe ego usus sum ultra septimum diem & bene contulit, & etiam sæpe usq; ad. x. dixi etiam quòd debemus secum miscere mel rosatum modo plus modo minus secundum necessitatem mundificationis, nota tamen quòd sunt aliqui casus in quibus debemus cauere à melle rosato propter suam caliditatem & uirtutem ipsius abstersiuam maxime ubi est periculum de fluxu sanguinis ab aliqua uena uel in panniculis uel in labijs uulneris & tunc utimur oleo rosato cum uino uel quòd dubitamus quòd mel sua mordicatio

ne in aliquo capite calido sit causa attractionis humoris ad caput & ita quòd sit causa apostematis & alterius mali accidentis. Et tunc loco mellis rosati sumitur iuleb rosatum quòd minus mordet & est minus calidum & ita prudenti medico semper hæc remittuntur quia in capite calido & in tempore calido tardius deuenitur ad mel rosatum q̃ in frigido capite & in tempore frigido.

¶ Vnum uolo non ignorare operatores huius artis. s. quòd quacunq; hora fiat talis operatio semper ponuntur humores in motu etiam si fiat ultra. xiiij. diem: ideo non est nisi bonum quòd tali tempore quæratur humorum refrenatio & distractio scilicet pharmacia phlebotomia fricatione uentosatione sanguisugarum applicatione. & conuenienti dieta q̃uis etiam de talibus aliquid ad sufficientiã actum sit à principio: quia noua causa indiget nouo remedio minus tamen & magis secundum conditiones læsionis & subiecti prout uidetur rationabili medico. Hæc sufficere uolo pro cognitione medicinæ applicandæ in cura læsionum capitis ubi os inciditur & amouetur.

quacunq; hora fiat ossis amotio uniuersalia sunt adhibenda.

¶ Visa qualitate medicinæ administrandæ facta ossis amotione nobis etiã uidetur sufficienter declarasse qualiter accidentibus sit succurrendum re ordinando uniuersalia ut fecimus & apostema sedando si sit uel futurum fuerit per localia tam hic in tertio instramento q̃ supra in secundo ubi de medicinis localibus ad plenum dictum est.

¶ Nunc uero ad superius promissa deuenio. s. ad localia à me magis dilecta & quibus continue utor nec ad alia me conuerto nisi coactus.

¶ Et primo dico quòd inter cæteras medicinas capitales exterius approximandas nullam ego unquam cognoui parem isti. s. cerato meo capitali quòd humanum appellatur & sic appellatur quia in eo ingreditur notabilis pars humanæ substantiæ. s. mumia.

Vnde dicitur ceratum humanum.

¶ Et nota quòd semper ego uidi & audiui hoc obseruari ab antiquis de familia mea. s. quòd illa mumia quæ ingreditur hoc ceratum debet esse de parte capitis hominis & illa Mumia de qua loquor est caro humana sicca: & uidi ego Venetys corpora fere integra de tali mumia. & semper antiqui

Mumia.

nostri prout ego à patre meo accepi & etiam uidi habebant unum uel plu ra capita in domo propria de tali mumia de qua capiebant ad confectio nem talis cerati.

¶ Et aliqui dicunt quòd propter similitudinem membri cum mẽbro est quædam simboleitas & amicitia à qua plus iuuantur q̃ si de alio membro acciperetur, quicquid sin an ab hoc an aliunde ego uidi ab isto cerato mi randa, & credo quòd si daretur uia ad uulnera capitis sananda absq; ossis amotione quòd hæc esset illa medicina sola alias excedens tanta est amici tia eius cum complexione capitis.

Laudes cerati.

¶ Et re uera ego pluries uidi applicare tale ceratum capitibus quocunq; modo læsis labys siccis & cum multis malis accidentibus & cũ sanie pes simæ conditionis, & prima uel secunda die applicationis uidi labia uulne ris degeri & saniem ad bonam qualitatem reduci & accidentia remitti & sic de bono in melius semper succedere & hoc intellige ubi cura non sit desperata nec impossibilis.

¶ Et de hoc solo rogo operantes si nunquam tale ceratum ab eis confi ciatur, ut conficiant omni diligentia & bona custodia prout à nobis bono corde & læto animo in lucem clarissimam omnibus medicinæ fidelibus cõ donatum est: & deum testor quòd pro isto cerato uidi patri meo offerri magnam pecuniæ quantitatem: & ille totaliter renuit dicens hoc ceratum non esse dandum alicui nisi proprys filys tanquam si esset hæreditas præ ciosa. ego autem & forte nutu dei oppositum feci & sic fecisse, credo multa bona mereri: qua uero custodia & diligentia seruari & confici de beat infra dicetur.

Ceratum est cum diligentia faciendum.

¶ Cuius cerati hæc est descriptio quod est per me expertum & ita aliæ medicinæ hic loci describendæ. Recipe terbentinæ lotæ cum uino malua tico resinæ pini colatæ: ceræ albæ ana unci.iij. mumiæ unci.i. & sem. lique fiant simul liquefienda postea adde mumiam paulatine cum spatula mi scendo usquequo omnia acquirãt mixtionem perfectam circa ignem sem per ne coaguletur facta conuenienti mixtione omnia proyciantur in uase argenteo uel alterius materiæ bene mundo in qua sint lib.iiij. aceti rosati.

Ceratum expertum.

ex uino maluatico. & hic loci dimittatur per diem & noctem postea manibus in eodem aceto bene malaxetur usquequo acetum totum expressum sit à cerato. Deinde pone ceratum in uase uitreo uel terreo uitreato sine aceto & in tali uase pone lactis mulier. unci. vi. succi termentillæ unci. i. succi pentaphyllonis unci. sem. succi bethonicæ drach. ij. succi brioni: succi plantag. ana drach. i. & sem. omnia lento igne buliant super cineribus calidis usquequo consumetur de prædictis liquoribus tanta quãtitas sicut fuit lac. postea adde succi berbenæ unci. i. succi pimpinellæ unci. i. & sem. & pone omnia in feruenti sole cum cautela ne à uento puluere extraneo repleatur cooperiendo aliquo panno raro & subtili & ita stet in sole per mensem ad minus: & singulo die addendo lactis mulieris puellam lactantis unci. ij. & succi bethonicæ drach. i. & sic stante feruenti sole semper lac & succus consumetur siue exiccabitur.

Modus faciendi ceratum humanum.

¶ Sed oportet quòd singula hora bis uel ter aliquis reuideat ceratum in sole & cum baculo ligneo mundo succum lac & alia melius quo potest simul ducat ut fiat optima mixtio: sed si contingeret quòd sol non posset exiccare tale lac & succum propter conditionem temporis. s. quia esset nebulosum uel aliter dispositum singulo die ponatur tale ceratum in aliquo cacabo mundo & terso & lento igne buliant usq; ad consumptionem succi & lactis. & sic erit medicina confecta mirabilis.

¶ Sed sic perfecto cerato solebant sic facere nostri antiqui capiebant ceratum & habebant lac mulieris prædictæ conditionis in aliquo uase in quo tenebant ceratum infusum per diem naturalem. Deinde simul cum lacte illo malaxando optime manibus conficiebant magdaleones unciarum. ii ij pro singulo. & sic in charta pergamena inuoluebant. Post hoc in aliqua pixide ponebant intra quam subet supra. & à lateribus ponebant pannum lanæ coloris granæ fine. & postea in capsa aliqua bene clausa seruabant.

Modus seruandi ceratum humanum.

¶ Et cum opus erat eo utebantur isto modo scilicet faciendo peciam magnam circundantem uulnus per quatuor digitos uel circa pluribus foraminibus perforatam & in uulneribus supra os nel infra os si amotum

erat os supra panniculum ponebant peciam paruam dicti carati extensam super sindone. & sic aliqua alia tenta seu lychnio ex panno lini subtili & albo replebant uulnus lænissime tamen & hoc ceratum applicabant circa septimum diem nisi sanguinis fluxus impediebat lauando semper uulnus cum uino maluatico in quo faciebant bulire rosas rub. & sic usq; in finem hoc solo cerato procedebant.

Modus administrandi ceratum.

¶ Et semper ponebant duas uel tres guttas mellis rosati bene cocti infundo uulneris & sic erat eorum & mei processus.

¶ Sed quia in prædicto cerato ingreditur pimpinella & termentilla & aliquæ aliæ herbæ à quibus cum difficultate exprimitur succus seruabant istum ordinem scilicet quòd semper pistando tales herbas irrorabant eas cum bono uino maluatico. & postea cum torculari extrahebant prædictarum herbarum succum sed cum magno labore. Verum est quod postea scilicet post primam exceptionem quæ fit cum sacculo grosso solido & denso quia aliter non exiret succus eos recolabant cum pecia munda cuius porositates erant satis angustæ.

¶ Et ita iste est totus modus conficiendi istud ceratum humanum: quo ego utor si habeo: sed raro nunc eo utor: quia non sum in loco in quo possim habere termentillam ad sufficientiam & loco istius cerati utor unguẽto infrascripto cui etiam magnam adhibeo fidem. uel utor cerato meo bethonicæ superius in alijs medicinis meis descripto & dicitur ceratũ bethonicæ expertum ad quod habeatur recursus.

Vnguentũ de matresilua expertum.

¶ Descriptio uero unguenti prædicti de matresilua hæc est Recipe terebentinæ resinæ pini ceræ nouæ ana unci. iiij. olei rosati unci. viij. mastices thuris ana unci. i. gummi helleni unci. ij. matrisiluæ & bethonic. pulueriszatæ ana unci. iij. matrisilua & bethonica ponatur in infusione secundum artem in lib. x. optimi uini per diem naturalem. postea adde omnia prædicta excepto gummi hellemi thure & mastice & bulliant omnia forti bullitione. s. usquequo sit consumpta media pars uini. & etiam quòd sic bulliendo appareat hæc mixtura coloris uiridis satis intensi & tunc coletur & dimittatur coagulari.

¶ Deinde coagulatum à uino separa & coagulatum totum accipe & pone iterum in cacabo & buliat tantum quòd partes uinosæ quæ remanserunt in unguento resoluantur & hoc cognoscitur isto signo scilicet quòd dum bulit non amplius facit spumam nec stridorem. Hoc facto iterum cola in qua colatura adde alia. s. gummi hellemi masticem & thus subtiliter pulucrizata & semper supra ignem lentum miscendo usquequo optime incorporetur. post hoc semper ducatur cum spatula in loco frigido usquequo coagulatum sit. Modus faciendi unguentum.

¶ Et isto utere conficien lo peciam maiorem quàm potes supra caput etiam si teneret talis pecia totum caput, & in labys de eodem unguento pone super lychnia procedendo cum melle rosato in fundo uulneris semper mixto uel puro. Modus administrandi unguentum.

¶ Sed cum isto unguento ego utor puluere capitali descripto à Galeno ab Haly. & ab Auic. & ab alijs medicinæ inuentoribus. Qui puluis est iste. Recipe farinæ orobij ireos aristrolog. lon. corticum oppoponacis corticum thuris ana & facio puluerem. sed aliqui addunt huic puluerj mirrham sarcocollam & sang. drach. & maxime brunus, & lanfrancus addit mirthi grana & nuces cupressi: & aliqui addunt centauream & hermodactilos. Puluis capitalis.

¶ Ego autem prima tantum utor. & mihi bene succedit. Alia tamen adiuncta mihi placent & ita etiam ego cum uideo carnem super crescere pono hermodactilos solos: quia magis exiccant & sic carnem aliqualiter minuunt. et si non sufficiunt hæc pono de alumine usto. prædictum autem puluerem pono transacta. xiiij. diem cum iam incipit caro generari et sic lauando cum maluatico, et melle rosato super posito deinde super asperso puluere prædicto et replendo semper uulnus filis prædicto unguẽto linitis usq; ad tempus sigillationis procedo. Tempus administrandi puluerem.

¶ Interdum tamen lauando fundum cum decoctione infrascripta maxime si contingat uirulentiam et saniem aggregari in fundo talis læsionis et etiam lauando cum siringa si opus est. Decoctio autem hæc est. Recipe

Lotio ad uulnera capitis.

uini maluatici lib.iiij.rosarum rub.bethon.pimpinellæ matrisiluæ centaureæ sticados ar.ana man.sem.arist.lon.yreos corticum thuris ana unci.sem.buliant omnia simul usq; ad duarum partium consumptionem:sed rosæ buliant bulitione uua tantum & coletur.Cui adde mellis rosati optime cocti unci.iiij.ista lotio est mirabilis in saniæ exiccanda in ulceribus profundis in capite.

Exemplum.

¶ Et hæc est illa mi Illustrissime Dux quam ego ordinaui & feci manibus meis pro capite tuo cum qua ego siringabam & interdum cum parua spongia embrocabam fundum ulceris tui capitis à quo prius non modica saniei quantitas exibat.Et ab ista lotione fuit facta saniei exiccatio & carnis repletio:& alys auxilys simul tandem consolidatio facta est.

In ulceribus capitis requiritur siringatio.

¶ Admirabuntur forte aliqui de isto modo procedendi in uulneribus capitis siringando & lauando ut à nobis præmissum est.Non miretur aliquis quia hæc non sunt admirationem inferentia immo quilibet rationalis medicus hoc tenetur agere uel cum ista uel alia medicina in ulceribus profundis cauernosis & occultis.& ita est mens omnium peritorum & maxime Auic.de cura ulcerum.& ita ego sum solitus operari in alys lauando & siringando cum opus est.

¶ Notent tamen legentes quòd istis medicinis non est utendum à principio sed transacto tempore apostematis tardius etiam in æstate utendũ est illis sed à principio.s.transacta quarta,ego solitus sum lauare unguentum matrisiluæ prædictum cum lactæ mulieris.& eo utor per tres uel quatuor dies sic loto quia non est ita calidum nec ita suspectum de attractione materiæ ad caput & interdum lauo etiam cum aqua rosata maxime in tempore calido & in capite calido & ubi etiam imminet periculum de fluxu sanguinis uel ubi esset febris intensa.& magna inflammatio in capite & interdum etiam tali tempore ego lauo uulnera cum lacte mulieris ut alibi dictum est hæc autem fienda remitto prudenti medico qui sciet uti calidis & frigidis & mixtis loco & tempore &c.

¶ Conscriptio ferramentorum.

Sed anteq̃

SEd antequam ad ossis amotionem aliquam deueniamus necessarium putaui instrumenta prius conscribere ut medici illa prius habeant parata. Sed quia diuersarum formarum & quantitatum debent esse talia ferramenta eorum formas ut promisi hic ponam. Et quia etiam aliquos reperio authores dissentire de modo operandi. s. quòd sunt aliqui qui prius incipiunt cum instrumento lato & aliqui qui prius cum subtili & stricto super hoc etiam erit aliquid dicendum.

¶ Et dico primo & ante omnia quòd instrumenta seu ferramenta multis denominantur modis & tantis quòd interdum confundunt audientes. & ne operatores ambulent in tenebris cuicunq; instrumento seu ferramento ex meis nomen imponam & ita inuenies in pictura inferius posita eorum nomina, quæ nomina à nobis hic in quodam catalogo in uniuersali necessario circunscribenda esse putaui.

Nota ferramẽtorum in uniuersali.

¶ Dico ergo quòd à me omnia instrumenta à medicis descripta apta os capitis perforare & sine quibus non potest os perforari Trepana appellantur siue sint rosoria ut sunt scalpra & raspatoria siue os terentia sicut est terebrum uel terebellum: siue incisoria ut est scalprum uel scalpellus & forceps & incidens quod tenalia dicitur à uulgaribus siue serra parua incidens, siue instrumentum lenticulare, siue colophysos à Gal. siue aliud tale.

Trepana quæ sint.

¶ Sunt etiam alia instrumenta capiti necessaria ad eleuanda ossa quorum etiam nomina & formas ponemus quæ propria habent nomina. s. instrumenta eleuatoria quibus eleuantur ossa depressa quæ etiam instrumenta sunt diuersarum formarum sicut sunt & alia ferramenta quia necessario ad ossa eleuanda requiruntur diuersæ formæ propter diuersitatẽ formarum fracturarum & depressionum in osse.

Eleuatoria ferramenta.

¶ Et omnium ferramentorum sunt diuersæ formæ propter diuersitatem capitum & eorum partium: quia alicuius capitis os est grossius altero & ita aliqua pars est grossior altera. Vna enim forma cõuenit uni depressioni & uni fracturæ & alteri non. & uni capiti & uni parti & alteri non.

quare diuersæ ferramentorũ formę et q̃itates

¶ Et ideo medicus prudens semper habet parata instrumenta & omnium

formarum & multa numero ut possit ubicunq; opus sit extrahere ossa & illa incidere eleuare & serrare rodere & terrere ut possit ubicunq; conse qui finem laudabilem.

Forceps.

¶ Sunt & alia instrumenta ad ossa extrahenda sicut est forceps non incidens sed tenaciter tenens quòd serpentina appellatur à modernis eo quia in eo sunt dentes parui sicut in ore serpentis & horum omniũ nomina dicemus siue pingemus cum formis loco suo.

¶ Sunt & alia multa instrumenta quorum nomina nec formas hic non ponam quia ista sufficiunt & si non sufficiunt cætera remittuntur in existimatiua operantis: quia sicut dicit princeps prima primi minimum quòd necessarium est medico est id quod potest dari in scriptis.

Non possunt describi omnes ferramẽtorum formæ.

¶ Et ideo nõ possum ego describere omnes formas instrumẽtorum: quia interdum ueniet ad manus medici casus nunquã uisus & ita medicus tunc præparat nouum instrumentum pro casu illo. Et certe hoc pluries mihi euenit. & statim feci fieri et etiam manibus meis feci noua instrumenta illi fracturæ apta quibus postea nunquam usus sum: nec ante uideram talia.

¶ Sic igitur de quacunq; spetie ferramentorum sint plura numero. s. minima parua media magna et maiora. et ultra omnia sit medicus ingeniosus et boni iudicij: quia tunc non desunt instrumenta. legitimi tamen medici habent uel habere debent scrinia plena prædictis instrumentis.

¶ Sequuntur

¶ Sequuntur formæ ferramentorum.



PRimum itaq; instrumentum siue ferramẽtum est illud quod primo uides, & uertibulum siue uerticulum à uerto uertis à me dicitur: quia dũ circum uertitur perforantur ossa secundum formam ferramẽti in eo positi habet enim foramen unũ in infima parte quod est commune omnibus istis instrumẽtis paruis quæ terebra appellantur: quia si unũ ex prædictis non supplet ponitur alter loco eius uel eiusdem speciei uel alterius. ¶ Etiam semper à subtiliori & minori incipiẽdo ad latius semper pmutando & finiẽdo. ¶ Et hoc primum instrumẽtum appellatur receptaculũ siue mater aliorum ferramẽtorum: quia in se recipit & continet alia ferramenta ad trapanandum in summitate cuius est quædam pila rotunda mobilis super qua tenetur leua operantis. & circa partẽ

mediã prædicti ferramẽti est quædam cãnula mobilis ut uertibulũ melius circunducatur. ferramenta postea capiti affiguntur. & sic perficitur opus.

Hoc est terebrũ cãnulatum.

Ala incidens.

Aculeus.

¶ Est aliud instrumentum artificiose factũ & appellatur terebrum quod ponitur in foramine receptaculi antedicti. & est instrumẽtum cannulatum & rotundum, ut uides in extremitate cuius est serra mediãte qua perforatur os & in eius medio est aculeus, paululum extra serram exiens: & nõ est talis aculeus acutus ut acus, sed habet tria latera uel quatuor in eius cuspide in acutum tendentia à quibus sicut à terebro roditur os, & proprie talis aculeus appellatur terebrum & mediante isto aculeo serra figitur in osse facillime. & talis aculeus est taliter præparatus in ceusa nulla illa quòd potest remoueri ad libitum operantis: quia posset lædere siphac cerebri si fieret profundatio ipso non remoto.

¶ Et ideo experti operatores uel remouent illud cum iam penetrarunt medietatem cranei: uel habent aliud tale instrumentum sine aculeo. & sic perficiunt opus ad secundam superficiem penetrando.

¶ Et hoc instrumentum cum aculeo est illud quòd dicitur masculus. & dicitur femina sine aculeo. sed hoc instrumentum est spiculatum siue alatũ sicut hic uidere potes cuius alæ sunt subtilissimæ incidentes. & istæ alæ sunt illæ quæ faciunt instrumentum esse tutũ à præcipitatione supra cerebrum. pars. n. acuta penetraret sed pars lata prohibet & isto uel alio ferè simili semper usi sunt bononienses sicut recitat Guido de cauliaco.

¶ Quod instrumentum iudicio meo excedit omnia alia si per manus experti & diligentis medici fiat tale opus.

Terebrū ad formam limæ optimum.

Terebrum aliud.

Terebrum aliud.

Terebrum aliud.

Terebrū quod nō conuenit fixure.

Terebrū quod nō conuenit fixure.

Terebrum aliud.

Terebrū quod nō conuenit fixure.

¶ Sunt præterea octo aliæ species ferramentorum ut uides hic depictorum quæ terebra appellātur. & in eodem receptaculo hoc est in primo instrumēto imponenda sunt prout uidetur operanti & formam cuiuslibet speciei uides hic & ut prius dixi de qualibet specie ad minus sunt habenda quinq; instrumenta scilicet minima parua media magna & maiora.

¶ Sciat etiam operator quòd ex istis octo instrumentis nō sunt nisi quinq; apta ad operādum ubi est prius aliqua fixura in craneo propter ipsorum formam rectā ad formā lineæ. quia cum linea recta ferramenti esse in dires

cto fracturæ præcipitaret supra pãniculos & maxime hoc intelligitur ubi fractura est cum linea recta: sed si esset semicircularis uel circularis etiã instrumẽtum de prædictis posset administrari sine periculo aliquo de præcipitatione.



¶ Est præterea hic aliud instrumentũ ut uides etiã trepanũ appellatũ nõ profundãs usq; ad inferiorẽ ossis superficiẽ sed ppe.

¶ Quod instrumentũ teste Haly. dicitur terebellũ cui caput est breue ne forte eius caput ad matrẽ perforet cerebri sitq; capitis eius longitudo q̃ta est ossis spissitudo.

¶ De isto etiã ferramento loquitur Gal. vi. ingeny. ca. vi. inquit unde quidam medici propter suspitionem foraminis talia fecerunt instrumenta quatenus non nisi solũ ossis substantiam penetrarent qua propter multa & diuersa sunt facienda secundũ q̃titatem grossitiei uniuscuiusq; partis ossis

Hoc etiam instrumentum ab Auic. nominantur trepanum & perforatoriũ non profundans.

¶ Et ab Albuc. etiã dicitur terebrũ nõ profundans. & dicit quòd nõ nominatur ita nisi quia non pertransit terminum cranei ad illud quod post ipsum. i. siphac propterea quòd terebro est extremitas rotunda & circulus paruus prohibens terebrum submergi.

¶ Et ita est istud instrumentum hic pictum: & certe credo quòd hoc sit illud de quo loquitur Albucasis & etiam Auic. & Haly.

¶ Modum autem operandi cum eo dant Haly. Auic. & Albuc. sed ego non auderem operari cum isto instrumento nisi coactus cum mihi magis placeant prima instrumenta & aliqua alia de infradicendis, sed hoc instru-

mentum posui ut monstrarem ferramenta quibus utebantur antiqui.

¶ Sed Gal. laudat certum instrumentum colophisos dictum quòd à Modernis nostris non reperitur. sed credo quòd sit illa serra rotunda superius posita sine alis cum qua etiam nunc temporis multi operantur. et etiam satis bene q̃uis non habeat alas tamen est ferramentũ periculosum. sed si habet alas antedictas tutius est instrumentis cæteris prædictis.



Forceps ad attrahendum tenalia siue serpentina appellatum.

Forceps incidens tenalia dictum.

¶ Sunt præterea hic ut uides duo instrumenta quæ forcipes appellãtur unum est ad incidendũ ossa et dicitur forceps incidens quo quidẽ instrumẽto multũ indiget operator. et certe si eo sciat medicus operari breui tẽpore perficiet omne opus de ossis amotione maxime ubi cadit eius operatio quia oportet quòd prius huic instrumento sit præstita uia ut possit figi in loco in quo queritur opus.

¶ Et de isto instrumento facit mentionem Auic. in cap. de fractura cranei dũ inquit et si os fuerit debile ex natura sui aut ex fractura quæ accidit ei tũc oportebit ut auferas ipsum cum incisoriis ponendo quædã. incisoria contra alia et ista incisoria certe sunt forcipes siue tenaliæ incidentes supra dictæ: quia unum incisoriũ est contra aliud.

¶ De isto ferramento etiam loquitur Haly. dũ inquit: et si os subtile inueneris ĩcidas cũ incisorio quod falci

ſimile eſt poſitis ipſis in oppoſito etc.

¶ *Eſt aliud etiam ferramentum forceps dictum ad capiendas et extrahendas ſagittas tela ſpinas oſſa et huiuſmodi extranea capiti uel alibi fixa tenalia ſiue ſerpentina appellatum.*

¶ *Sequitur aliud inſtrumentum quod eleuatorium magnum appellatur quo utimur ad eleuanda oſſa depreſſa ut uides hic cuius extremitas ponitur ſub oſſe & eleuatur os ad ſuperius quantũ intẽdit operator.*

Eleuatorium magnum.

Eleuatorium paruum quod appellatur roſtrum accipitris.



¶ *Sequitur aliud ferramentum quod dicitur roſtrum accipitris cum quo etiam eleuantur oſſa ubi opus eſt ut hic uides.*

¶ *Sunt*



¶ Sunt etiam alia tria ferramenta scalpra dicta ut hic uides quæ à modernis raspatoria appellantur satis tuta ad operandum sed laboriosa præcæteris instrumentis maxime quando quæritur integra ossis perforatio & quod libet ipsoru appellatur scalprum aduncum. sed scalprũ interdum capitur pro nouacula siue rasorio. & interdũ pro phlebotomo uel pro quocunq; ferramẽto carnem & mẽbra mollia incidere apto.

¶ Et ista scalpra ad unca sunt illa instrumenta quibus debent operatores uti in fixura capillari tentando an penetret, & alato ferramento prius incipiendum est ut latius dicetur infra & instrumenta hæc ponuntur in manubrio osseo uel ferreo uel ligneo & pars ferramenti ingrediens manubriũ est retorta sicut coclea ut sit firmior cum manubrio ut uides in pictura supra posita.

Serra.



¶ Sunt ultra prædicta instrumenta alia quatuor ut hic uidebis quorum unum est ad formam serræ quæ à lateribus est aspera rodens ultima ut hic superius uides.

Scalprum rectum siue Scalpellus.



¶ Est aliud ferramẽtum quod dicitur Scalprum rectum siue Scalpellus, aliqualiter conuexum & concauum in cuspide ut uides hic, quod instrumentum est præcipuum ubi ossa sunt petrosa in quibus alia ferramenta non possunt administruri propter strictum orificium uulneris, & maxime quando medicus non intendit integre perforare os. quod instrumentũ percutitur maleo plumbeo hic inferius picto ut uides.

Maleus plumbeus.



Lenticulare siue lentiticium.



¶ Est aliud instrumentum lenticulare siue lentiticium à Gal. multum laudatum inter alia instrumenta quod percutitur etiam maleo plumbeo prædicto ut minorem inferat strepitum cuius gratia minus læditur cerebrum pacientis quod instrumentum habet in cuspide portionem pariam ferri similem grano lentis ne pungatur siphac cerebri: & isto instrumento æquantur asperitates ossium capitis ne pungant panniculos. Et etiam inciduntur ossa cum eo si opus est maxime si prius sit in osse uia & fixura mediante qua intra os possit poni tale ferramentum.

¶ Et hoc instrumentum est positum ab Albucasi & ab Auic. ad longum de mente Gal. tamen Gal. in capitulo sexto sexti ingenij non dicit de tali instrumento ea quæ dicta sunt à prædictis authoribus ideo in primam sententiam deuenio scilicet quòd nos non habemus sextum librũ de ingenio completum sed quòd reperiatur mancus sicut supra dixi. & ad minus caremus septimo capitulo eiusdem sexti libri. Et sic cum dei adiutorio finitæ sunt formæ ferramentorum nostrorum qui uult maiora & plura ad alios recurrat codices. Hoc solum repeto scilicet quad omnium specierum ferramentorum prædictorum sint diuersæ magnitudines ob rationes ante adductas.

¶ An à lato ferramento uel à stricto sit incipiendum in ossis amotione.

VIsis nominibus & formis instrumentorum siue ferramentorũ læsionibus prædictis conuenientium: uidendum est quibus utendum sit prius & maxime sicut supra dictum est cum reperiantur aliqui qui prius utuntur stricto & subtili deinde lato ferramento sicut est Albucasis qui dicit quòd ablatio ossis fit uno duorum modorum, & modus quidem unus est ut incidas os cum incisorio strictæ aciei. Deinde administra incisorium aliud latius & post incisorium secundum aliud latius eo & sit apud te numerus incisoriorum diuersorum quorum quædam sunt latiora quibusdam &c. Albucasis.

¶ Inquit etiam quod sint in ultimo acuitatis & ex ferro indo & quòd hæc fiant cum facilitate ne commoueatur caput idest cerebrum &c.

¶ Modus autem secundus est si os est forte & durum tunc oportet ut perfores in circuitu eius anteq; tu administres incisoria. cum terebro quæ nominantur terebra non profundantia & non nominantur ita nisi quia non pertranseunt terminum ossis cranei ad illud quòd est post ipsum propterea quòd terebro super illud quòd est sub capite eius acuto similis margini est paruus circulus prohibent submergi & pertransire spissitudinem ossis.

Forma terebelli secundũ Albucæ.

¶ Et conuenit tibi ut accipias ex istis terebris numerum multum quorum unumquodq; conueniat quantitati spissitudinis ossis donec præsens sit tibi omni craneo terebrum, cuius extremitas acuta & q̃titas in longitudine & breuitate sit secundum q̃titatem spissitudinis illius cranei &c.

¶ Oppositum tenet Auic. scilicet quòd alato ferramento prius est incipiendum ad strictum semper ueniendo nam in capitulo de fractura cranei inquit. & apud te sint fricatoria diuersarum quantitatum & administra in primis lata eorum deinde quæ sequuntur illa scilicet stricta & ibidem parum infra dicit. & si os fuerit debile ex natura sui aut ex fractura quæ accidit ei tunc oportebit ut auferas ipsum cum incisoriis ponendo quædam contra alia & incipiendo ab eo quòd ex eis est latius fiat permutatio ex eis ad incisoria subtilia deinde peruenias ad capillaria. i. ad subtilissima siue strictissima &c.

Auic.

¶ Nicolus etiam dicit ad literam quòd modus illorum qui incipiunt cum strictiori instrumento est abiectus etiam in fixura capillari & stricta. & in fauorem suum adducit authoritate Albucasis talem. s. & oportet ut administres in abrasione tua qua in primis radis os latius illorum rasoriorum. Deinde utere post ipsum subtiliore eo & non cesses facere illud secundum continuitatem donec peruenias ad administrandum tenuius & subtilius eorum omnium.

Nicolus.

Albucasis.

¶ Et ultra authoritatẽ Albucasis dicit Nicolus quòd ratio propter quam debemus incipere alato instrumento est ista. s. quia orificium superius de-

Ratio Nicoli.

bet esse latius profundo propter periculum putredinis: quia melius expurgatur uirulentia si orificium est latum. Et etiam quia melius in eo ponuntur medicinæ & lychnia siue tentæ.

¶ Adducit etiam authoritatem Gal. sexto ingenij capitulo sexto dicentis quòd oportet quòd incipias cum lato instrumento .i. à latiori & à maiori donec ad subtilem idest ad minimum peruenias. &c. Gal.

¶ In fauorem suum etiam Nicolus adducit authoritatem Auic. à nobis parum ante positam omnino inferens & pro conclusione ponens alato instrumento esse incipiendum.

¶ Sed aduerte lector quòd Albuc. & Auic. & Gal. ubi supra adducuntur optime sentiunt cum dicunt alato instrumento incipiendum esse optime etiam sentit Albucasis cum dicit. quòd astricto incipiendum est. Solutio.

¶ Sed Nicolus male expertus in operatione manus non iudicauit modũ .s. quando sit procedendum cum lato nec quando cum stricto instrumento ideo dixit solum alato esse incipiendum. Ne ergo hoc nostrum opus legentes confusi & inuoluti remaneant dicendum est in quo casu prius lata, & in quo casu prius stricta instrumenta conueniant ad operandum.

¶ Et dico quòd alato instrumento est incipiendũ operari in fractura cranei quando fractura non penetrat interiorem superficiem siue tabulam cranei. & tunc medicus cura tentatiua magis procedit q̃ uera cura & tunc non intelligit cum talibus instrumentis ad totum penetrare os ideo alato instrumento incipit solum quærens rimulam capillarem detegere & uidere si penetrat prius in ea apposito attramẽto uel alia humiditate nigra. Et etiam si nõ penetrat quærit talem fixuram ampliare in superficie ne erugo in ea retineatur ut causet aliquod malum accidens. Vbi cum lato instrumento.

¶ Et quòd hoc sit uerũ expresse sic ponit Gal. & Albucasis. .s. quòd alato instrumento sit incipiendum fractura non penetrante & hæc sunt uerba Gal. Inquit. Quæ autem penetrat usq; ad locum qui inter utrasq; partes cranei est de subtilibus quidem necesse habet diuersa tamen fiunt instrumenta ut primum incipias alato deinde à minus lato donec ad subtile de necessitate peruenias. Gal. Albucasis.

¶ Albucasis etiam inquit & si fractura ossis non penetret usq; ad panniculum & illud quòd abscinditur ab osse est facies eius & remanent in ipso asperitas & satagiæ subtiles tunc oportet ut radas illam asperitatem & eradices illas satagias cum rosarijs subtilibus ex quibus præparasti numerum diuersarum quantitatum ut sit tibi possibile administrare ex eis in omni loco hora conuenienti eorum & rectiora ipsorum secundum illud ad quod perducit te operatio. & ipsum os fractum & figura eius.

¶ Et oportet ut administres in rasione tua qua in primis radis os, latius illorum rasoriorum. deinde utere post ipsum subtiliore eo &c.

¶ Et ultra authoritates prædictas quæ de facto præsupponunt incipiendum esse à lato ferramento ubi fractura nõ penetrat est ista ratio. s. quòd cum lato instrumento operantes semper uident ad quem terminum intra craneum debeant profundare ferramenta quòd non uiderent si facerent prius cum subtili & angusto instrumento.

¶ In fissura autem ad intra penetrante sufficit medico habere instrumenta apta ad penetrandum totum craneum non curans nisi remouere os. & etiam semper panniculus est separatus à craneo quando medicus trapanationem intendit sicut monstratum est superius siue ossa pungant siue grauent. siue sanies sit defluxa quæ omnia panniculum separant.

¶ Et tunc si bene medicus utitur instrumento subtili ante latum non refert. quia medicus mensurauit iam grossitiem loci cranei perforandi ad ferramentum & sic non dubitat de panniculo. sed ubi os non est fractum nisi fixura stricta medicus dubitat non penetrare & panniculum lædere ideo uult habere uiam latam ante se ne incurrat aliquem errorem & maxime cum talis operatio fiat & fieri debeat ante tempus separationis panniculi ne sanies per rimam illam descendat & craneum per porros eius penetret & panniculum separet: quia alia de causa non fit operatio in osse fixura non penetrante nisi ut sanies ibi in rima aggregata uel aggregari apta non descendat uel os corrumpat.

Ratio authoris.

¶ Sed est alia fortior ratio propter quid medicus debet uti instrumento angusto & subtili prius dum intendit facere integram perforationem &

ossis amotionem usq; ad interius. s. quòd medicus posset incurrere periculum de morte ægri prius operando cum lato instrumento: nam cum instrumentum habet uiam latam ante se de facili potest penetrare ad intra & præcipitare & cadere supra cerebrum: quia non habet à quo sustineatur nisi à manu medici quæ sustentatio fallax est ideo ab angusto prius est incipiendum dum uolumus totum os penetraret. & sic intellexit Albucasis quando dixit prius à subtili incipiendum esse. Albucasis.

¶ Et quòd hoc sit uerum excelse Dux tu iam probasti in capite tuo quia quidam noster socius operari auidus, prius incepit cum certo mediocri instrumento deinde permutauit se ad strictum & subtile ferramentum. Et tandem ferramentum uiolenter intrauit sub craneo tuo de quo casu illæsus euasisti propter hoc tamen non fuit quin fueris in aliquo periculo. Exemplum.

¶ Sic ergo caueant operantes ab instrumento lato incipientes dum intra craneum uolunt penetrare cum instrumentis.

¶ Quod etiam hoc sit uerum. s. quod melius sit incipiendum à subtili q̃ alato ferramento dum totum os intendimus penetrare patet experientia in omni alio artificio mechanico siue operetur in ligno siue in lapide uel in alio corpore solido: quia semper artifices utuntur terebro subtili & paruo prius deinde lato & deinde latiori: quia etiam sic operando melius & citius perficiunt quicquid intendunt.

¶ Ex prænarratis ergo uidetur Albuca. Gal. & Auicen. bene sensisse & optime dixisse cum monstratum sit quòd sunt aliqui casus in quibus prius alato & aliqui in quibus prius ab angusto & subtili ferramento incipiendum est. Conclusio.

¶ Credo etiam quòd sit incipiendum modo cum subtili, modo cum lato secundum quòd uariæ sunt species ferramentorum quia si fit operatio cum scalpro. i. raspatorio prius incipiendum est alato. si uero cum terebro & forcipe prius est incipiendum ab angusto & stricto siue integre perforetur os cum scalpro & terebro siue non &c.

¶ Sæpe tamen contingit quòd uno solo ferramento absq; permutatione

alato ad strictum & econtra fit ossis apertio & amotio & pluries ego uidi unicum ferramentum sufficere &c.

¶ Documenta breui sermone notatu digna arti necessaria.

SEd antequam ad opus particulare ferramentorum deueniam dignum putaui hic in quodam catalogo fere omnia à me longo sermone in toto opere ante dicta perstringere, ut facilius legentes intelligant quid agendum & quomodo agendum & quando agendum sit. Decies etiam repetita placere solent, & ut inquit Seneca nunquam bene dicitur quòd satis non dicitur. Gal. etiam primo decrisi capitulo octauo inquit. Res quæ iuuamentum præbet oportet ut iteretur multoties & incitetur: & in megategni dicitur geminata. n. disputatio iuuat: quia facilius memorie mandatur.

¶ Notandum est igitur quòd in uulneribus capitis notabilibus debent seruari intentiones siue canones omnes à nobis dicti & dicendi. s. quòd fiat phlebotomia. uentosatio. sanguisugarum applicatio. & fricatio fortis parti contrarie.

¶ Et uentris solutio cum pharmaco conuenienti uel clystere uel suppositorio.

¶ Et totum regimen sex rerum non naturalium.

¶ Et extractio extraneorum sine ægri molestia.

¶ Et sanguinis constrictio cum appropriatis & necessarijs & prohibitio ebullitionis sanguinis choleram euacuando & illam refrenando.

¶ Et præseruentur ægri ab accidentibus, & illa corrigantur si iam sint habendo recursum ad fidelem & peritum physicum.

¶ Et quòd quam primum potest fieri cutis incisio triãgulari uel quadrangulari forma fiat & in decliuiori loco, & quòd cum ouo & pulueribus sanguinem constringentibus uel alia re dimittantur labia uulneris sic plena ad minus per diem, ut deinde prædicta labia plus aperta & minus dolorosa sint.

¶ Et quòd

¶ Et quòd ante omnia fiat prognosticum de periculo, ut euitentur sermones stolidorum. periculum enim tale ponitur teste Guidone authoritate rugerij. s. usq; ad cap. dies & secundum iuristas ad. xlvi. quia talis est ultimum acutarum & secundum quatuor magistros ad. xv.

Vsq; ad. c. dies est periculum: de uulne. capitis.

¶ Et quòd præcipiatur ægro in prima uisitatione ut confiteatur deo de suis delictis iuxta illud in decretali de penitentijs & remissionibus capitulo cum infirmitas multotiens ob peccata contingat prius uocentur medici animarum quia sic faciendo euitatur excommunicatio. & etiam melius & citius sanantur ægri multis de causis.

¶ Et quòd non fiat ossis amotio stante uirtute prostrata, nec fiat talis amotio nisi urgente necessitate ante dicta: sed quanto citius melius.

¶ Et quòd semper aer sit calidus etiam in æstate magis & minus tamen secundum conditiones antedictas.

¶ Et quòd commissuræ relinquantur intactæ in operando nisi siphac sit separatum in quo tunc tute potest fieri operatio.

¶ Et talis operatio fiat in decliuiori loco: quia est facilior ad expurgãdũ.

¶ Et quòd in dilatando non consequatur finis fissurarum. sufficit enim auferre tantum de osse, quòd sanies possit expurgari, aperiatur tamen tota fissura: taliter quòd in ea non retineatur erugo fricatione leui. & lauetur, & mundetur aliquo ingenio: taliter quòd ibi non fiat corrupptio & sanici ad intra penetratio.

¶ Et quanto citius potest fieri expediatur medicus ab operatione dum actu operatur ne debilitetur æger.

¶ Et quòd eligatur bonus operator qui alios sæpe uiderit operari qui etiã sit manibus expeditus, & sit boni uisus, & tãdẽ sit legitimus medicus.

¶ Et in operando claudantur aures ægri cotone uel lana ne lædatur ex strepitu ferramentorum.

¶ Et ferramenta sint plura numero & diuersarum formarum.

¶ Et in tali opere sint semper aliqui ministri ad minus duo cum medico ut iuuent pro necessitate adueniente qui teneant ægrum ne moueatur motu tali quòd fiat impedimentum in cura.

¶ Et quòd si sutura fienda est nunquam fiat stante læsione in suprema capitis parte.

¶ Et quòd siue fiat sutura siue non in suprema capitis parte semper habeatur bona cura & diligentia ne ibidem retineatur sanies, quia potest ossa & panniculos corrumpere ideo in tali casu ægri situetur taliter quòd caput sit depressum ne sanies retineatur.

¶ Et sæpe in prædicto casu medicentur & optime semper uulnera mundentur à sorde.

¶ Et quòd oleum rosatum & aliæ medicinæ doloris sedatiuæ administrentur in principio solum.s.non transeundo quartam uel septimam uel ad plus decimum diem. Deinde administrentur medicinæ siccæ ut supra dictum est.

¶ Et quòd oleum rosatum sit omphacinum & anno illo confectum quia aliter est malum.

¶ Et quòd à principio medicina sit repercussiua leuiter tamen ne ab extra ad intra repercutiatur materia.

¶ Et non laudantur medicinæ multũ stipticæ nec opilatiuæ propter eandem causam. Ab eis enim conculcantur materiæ. & redduntur in obedientes arti. & naturæ sed circuncirca. sufficit oleum rosatum & mirtinum tantum. & maxime in contusione.

¶ Et non sit medicina mordicatiua nec dolorem inferens quòd si sit necessaria sit leuior quo fieri potest.

¶ Et quòd mutetur uulnus semel bis ter & pluries secundum qualitatẽ & quantitatem saniei. & secundum locum in quo est. & secundum accidentia ab ea causata.

¶ Et quòd super lychnia ponatur frustulum spongiæ ut sugatur melius sanies à fundo uulneris.

¶ Et quòd stante magna ossis amotione ne ligatura & tentæ cõprimant & grauent siphac. ponatur in mediate super primo lychnio uel super syndone posito ut supra dictum est super panniculo frustulũ cucurbitæ siccæ uel alterius rei leuis maioris q̃titatis parum tamen cranco amoto.

¶ Et quòd ligatura sit leuis non grauans maxime usquequo, totum uulnus sit carne repletum.

¶ Et quòd à principio talis ligatura sit tantum retentiua in fine uero sit incarnatiua & expressiua qualis potest.

¶ Et quòd si ossa sunt alterata ab aere uel à medicina uel à sanie uel ab omnibus his de duobus alterũ fiat. uel expectetur quòd ossa emittant squãmam superficialem alteratam, cuius squammationis tempus est generatio pori orosboth. quòd non fit ita forte in craneo sicut in alijs ossibus. sed ut ego uidi pluries in capite loco ossis deperditi generatur quædam substantia ligamentalis similis duræ matri cui substantiæ fortissimæ aligatur ipsa dura mater & hoc ego uidi anotomizando aliqua capita quæ prius ego curaueram cum notabili ossis amotione. quòd tẽpus cõmuniter si ossa alterata sunt leuiter & superficialiter est tẽpus. xxxv. dierum uel circa.

¶ Sed si ossa sint alterata secundum profundum sicut etiam sæpe contingit tardius satis fit squammæ emissio & magis tardius secundum complexionem & uirtutem & ætatem & anni tempus quia interdum stant ultra annum nisi cauterio uel medicina hoc faciente iuuetur cuius tarditatis sunt multæ causæ.

¶ Aliud quòd est faciẽdum si superficialiter ossa sunt alterata est quòd medicus ad minus singulis diebus aliquo raspatorio debet fricare ossa. & illa bene mundare ab alteratione incipiendo transacta suspitione de apostemate & sic faciendo citius ossa carne teguntur & replentur uulnera & nullam squammam emittunt. fricatio. n. ipsa mundat ossa & trahit nutrimentum ad locum. & citius perficitur cura. & sic semper ego procedo maxime si uia sit lata qua mediante, possim uti ferramentis.

¶ Volo etiam iuuenes huius artis unum scire scilicet quòd dura mater detecta semper carne tegitur & tanta caro interdum super ea critur quòd aliqui credunt ipsam pati apostema & in cura utuntur emplastris ex altera fenugræco & semine lini & pinguedine gallinæ & similibus: & tunc magis crescit prædicta caro mollis & eleuata interdum ad modum fungi à quo medicamine & à qua carne multiplicatur taliter

Interdum dura mater crescit extra uulnus ad modũ fungi.

Cura alfuturati.

sanies ut inde sequantur aliqua mala accidentia. Videant igitur prius operantes signa apostematis siphac. & iudicabunt an sit panniculus apostematus an caro superaddita. & curam adhibeant congruam.

¶ Cura enim carnis superfluæ est ipsam exiccare cum hermodactilis & cum allumine uel zucarino uel rochæ usto uel cum unguento apostolorum uel cum cucurbita adusta uel spongia adusta & cum similibus in quibus nulla est uenenositas nec malitia de cura uero apostematis habeatur recursus ad ea quæ dicta sunt supra de eius cura. Interdum enim apostematur panniculus & exit craneum sicut alfuturati.i. sicut fungus ut inquit Auic. prima tertij capitulo de plaga capitis.

¶ Qualiter sit operandum cum ferramentis in lasionibus capitis ante dictis.

AD opus particulare ferramentorum in quacunq; spetie lasionum capitis iam deueniendum est, à qua operatione caueant illi qui legitimi sunt medici, nemo hercle deberet ad hoc opus ferramentorum deuenire nisi sit ualde exercitatus in hac arte. & qui non uiderit pluries talia operari ab aliquo perito & experto medico.

¶ Sed ut inquit Zoar. primo theizir trac. ij. suo tempore & forte nostro pauci reperiuntur qui sciant operari in fracturis capitis cum ferramentis ratione & experientia & ibidem ipse inquit quòd ad tale opus est inueniendus homo qui habeat intellectum & consuetudinem & qui ex natura sua & complexione habilis sit huic arti & qui expertus sit in ea tempore longo quoniam non debet recipi aliquis ad hoc exercendum nisi longo tempore fuerit discipulus cum magistro optimo perfecto. & ipse per se met longo tempore fuerit practicatus.

¶ Debet etiam esse talis operator in anotomia capitis instructus ut sciat grossiciem & duriciẽ partium cranei & ut cognoscat loca à quibus exeũt nerui uenæ & alia omnia in capite contenta.

ET dicimus quod prima species de dictis est illa quæ rhagamia darcam siue capillaris dicitur quæ quamuis interdum totum non penetret ad intra craneum dubium tamen maximum infert medico de penetratione & de malis accidentibus futuris quæ etiam species non penetrans est periculosa si non curetur ut decet. Cura rhagamiæ darcham & capillaris.

¶ Et hæc species suo ueriori nomine posset denominari fractura dubia quæ fractura fit à contusione cuius per ferramenta cura hæc est scilicet hora prima læsionis sicut ante dictum est nisi aliquod impediat abraso prius capite oportet fixuras facere duas sese incidentes rectis angulis in modum crucis quarum una sit secundum longitudinem fissuræ quæ à percussione facta est de hinc quatuor excoriare angulos quatenus totum denudetur os quod perforare desideras. & ut sanguinis fluxus ab inde retineatur, implebis fixuram hanc panno aceto infuso & aqua aut panno sicco. & sic fascias appones uino infusas & oleo oliuæ uel rosato ligationēq; adhibe competentem. Modus aperiēdi autim capitis.

¶ Et mane facto si malorum nihil acciderit accidentium hoc opus impedientium cauare os oportebit fractum. & hic modus est Pauli Haly. Auicēnæ & aliquorum aliorum antiquorum. non quòd ipsi ponant quòd prima hora nec primo die hoc sit agendum nisi in casibus ab eis antedictis: sed ut ego alias supra dixi si necessitas cogat laudo tale opus in prima hora propter rationes à me adductas uel si non fiat prima hora quanto citius melius.

¶ Aduertant tamen operantes quòd ubi dubitaretur de aduentu apostematis propter fricationem cum ferramentis aut quia corpus esset cacochimum. & etiam ubi esset dubium de aliquo sanguinis fluxu propter operationem talem uel quòd esset ebullitio in capite & in humoribus totius dependens immediate ab alia causa quàm à uulnere capitis tunc melius esset expectare quòd trāsiret tempus suspitionis apostematis ad talie opus perficiendum remittens semper ut multotiens supra dictum est hæc prudenti & legitimo medico.

¶ Recentiores tamen medici non semper hortogonalem faciunt fissu-

ram: ſed ſæpe eis ſufficit triangularis forma. nec utuntur aceto & aqua nec ego auderem eis uti in uulneribus capitis propter ea quæ dixi de aceto ſupra ſed utuntur ouo & pulueribus ſanguinem conſtringentibus. & poſtea ſi accidentia aliqua non impediant mane. ad ferramenta deuenien dum eſt. hora enim illa conuenientior eſt cæteris.

¶ Prius ita q; aures lana cotone uel alia re opilentur ne forte ferramen torum ſtrepitus illi noceat qui in oſſis fit aperitione. Deinde ſoluto uulnere eo q; abſterſo, duobus miniſtris impera ut labia uulneris aliquo panno uel alio ingenio eleuent & aperta teneant. Deinde ab operante capiatur aliquod ex prædictis ferramentis ſupra poſitis quæ ſcalpra appellantur. Ruſticali tamen nomine raſpatoria dicta ſunt.

¶ Et ſecundum longitudinem rimæ fiat abraſio à lato tamen ferramento incipiendo humiditate nigra prius poſita in rima ut uideatur abradendo ſi fractura penetrat. quia ſi rima totum craneum non penetrat à ferramento remouetur omne humiditatis nigræ ueſtigium in rima prius uiſum quæ ſi talis. ſ. non penetrans reperiatur. curetur medicamẽto Gal. qui. vi. ingeny in tali caſu preciſe facta oſſis abraſione ponit curam fieri debere cum ireos & farina orobij thure & ariſtolochia & cũ omni medicina quæ ſine dolore eſt mundificatiua.

¶ Et hic modus curandi ante dictus eſt præ cæteris eligendus. Dato etiã quòd medicus eſſet certus quòd fractura non penetraret: quia ſæpe in fiſſura tali retinetur erugo. & maxime ſi ſit in ſummitate capitis: quia non expurgantur talia uulnera ſicut literalia quæ erugo. i. ſanies poteſt lædere ſiphac. & ideo medici in tali fiſſura ſunt multum cauti ordinando ſitum talem quòd ſanies non retineatur in labijs. & quòd per rimam uel per poros cranei non deſcendat ad intra & corrumpat & lædat cerebrum. ideo raſpatorijs quantõ citius poſſunt remouent rimam. Deinde exiccant & carne replent & tandem conſolidant adhibendo rationabilem dietam & potionem prout ſupra dictum eſt eſſe fiendum circa uniuerſalia.

In capillari fiſſura non expectantur accidẽtia ad aperiendum os.

¶ Et in prædicta ſpecie læſionis nõ expectantur accidentia ſeparationis ſiphac: ſed ſolum fit tale opus ne erugo ledat pãniculus deſcendendo per

poros ossis. tamen etiam sæpe sine tali opere sanantur ægritudines tales adhibita solerti cura. tutior tamen est prima uia nec in ea est dubium de læsione panniculorum per ferramenta immo ab eis est incipiendum ordine iam dicto. Deinde ad medicinas debitas & sic sequitur laudabilis finis. notent tamen medici quòd non semper manifestatur hæc rima ab humiditate nigra quia interdum est stricta fissura quòd eam nõ ingreditur aliquid. & hoc ego uidi experientia quia prius ego posui super ossa de tali nigredine. & non remansit aliquod uestigium nigrum deinde ad aliquod tempus natura emisit squammã satis notabilem prædicti ossis in qua squãma apparebat fissura notabilis. Et hoc est quia uiuẽte adhuc osse est ubiq; humiditate plenum quæ humiditas impedit extranea ingredi talem fissuram cum autem os exiccatur tunc apparent fissuræ in eo si sint.

¶ Si autem tentatiue sic operando reperiatur rimam intra craneum penetrare nullo pacto audeat medicus ad intrinsecam partem cum instrumentis deuenire nisi prius adsint signa separationis panniculi: quia posset quocunq; ferramento lædi siphac. Sed procedatur in cura cum medicinis dolorem sedantibus. & cum exiccantibus prout requirit ægritudinis tempus & prout dispositio ad se trahit curam: quia sic sæpissime procedẽdo sine alia ferramentorum operatione sanantur ægri.

Si rima penetrat accidentia sunt expectanda.

¶ Si autem accidentia cogant medicum ad os aperiendum & amouendum usq; ad siphac ad alia ferramenta est deueniendum: quamuis etiam raspatoria prædicta sint apta totum os penetrare. & etiam quamuis multi eis solis utantur. alia enim ferramenta minus impediunt ægros & etiã operantes quia breuissimo tempore cum eis perforantur ossa. Scalpro aut siue raspatorio perforantur ossa longo labore & tempore ideo ad alia ferramenta scilicet ad terebras prænarratas est deueniendum quæ multarum sunt formarum.

¶ Et eligatur ea forma à medico quæ magis isti speciei læsionis uidetur conuenire. Vterer tamen ego in tali specie uel ferramento illo ad formam limæ rotundo uel serra illa rotunda cannulata cum alis incidẽtibus quorũ ferramẽtorũ formas superius uidisti. Postponẽdo omnino illa ferra

menta superius monstrata quæ propter suam formam rectam secundum longitudinẽ rimæ sunt apta præcipitare intra craneum si rima est rectæ lineæ. si autem rima esset obliqua omnes terebræ prædictæ conueniunt prout uidetur operanti quia uni medico placet unum ferramentum & aliud alteri.

¶ Sed mihi præ cæteris placet serra illa cum aculeo qua posita in uertibulo siue in receptaculo antedicto figitur in loco expurgationi magis apto & sic reuoluendo ferramenta prædicta perforatur os, prius tamen incipiendo cum instrumento angusto & stricto. Deinde magis lato & deinde latiore prout requiritur lata uia pro expurgatione uirus cõtenti infra craneũ. & dimittatur aculeus in prædicta serra usquequo perforatæ sint duæ partes spissitudinis cranei uel circa. Deinde remoueatur aculeus à ferramento ne pungatur ab eo siphac: qui quidem aculeus est taliter positus in serra ut ad libitum operantis remoueatur à serra. uel alia capiatur serra sine aculeo æqualis magnitudinis cum prima & perforetur totum craneũ usq; ad siphac & ita cum securitate et breui tempore et sine magno motu capitis ægri perficitur opus.

Hic fit operatio prius ĩstrumento stricto deinde a lato.

¶ Et si contingeret quòd cum isto instrumento operando uel cum aliquo alio post ossis amotionem remanerent aliquæ asperitates squirlæ siue sagiæ aptæ pungere siphac. illæ remoueantur cum forcipe incidẽte uel aliquo alio ingenio. et maxime cum lenticulari Gal. et maleo plumbeo ponẽdo extremitatem ferri lenti similem uersus siphac. et partem eius incidentem uersus os amouendum et maleo plumbeo percutiendo usquequo amoueantur squirlæ et asperitates prædictæ.

¶ Deinde perfecto opere cũ ferramentis abstergatur sanguis et sanies. Deinde oleo rosato uel melle rosato puris uel mixtis prout indicat dispositio procedatur lychnis debitis uulnus repleẽdo et etiam ponatur aliquid syndonis inter os et panniculum intincti in medicina quæ iudicatur conueniens usq; ad repletionem carnis.

¶ Sunt tamen aliqui qui in tali loco ossis amoti supra craneum ponunt frustulum cucurbitæ siccæ supra syndonem prædictum ne tentæ grauent

siphac

siphac quem modum non uitupero nec laudo. & ego interdum posui & sine eo etiam pluries processi & mihi bene successit. in uno casu solum ego laudo applicationem talis cucurbitæ. s. ubi esset magna pars cranei amota in qua esset dubium ne ligatura & tentæ grauarent siphac: tunc credo eā multum cōuenire: quia prohibet aduentū apostematis per grauamē tentarum & super talibus lychnijs siue tentis & syndone antedicto pono unguētum meū capitale & mel rosa. & oleum rosa. prout requirit dispositio.

In quo casu cucurbita sicca sit applicanda.

¶ Semper tamen per septem uel octo uel decem dies post tale opus ungo caput oleo omphacino siue fiat tale opus in primis diebus siue stante sanie sub osse, quia ex ossis amotione cum ferramentis agitantur humores & currunt ad locum læsum: & oleum tale eis resistit caput confortādo & sua stipticitate eos repellendo. Et non tantum humoribus motis resisto localibus medicinis. sed cum dieta & regimine debito. & etiam cum instrumento potionis: sicut supra alias ostensum est.

¶ Residuum uero curæ perficio syringationibus & lotionibus & pulueribus antedictis & tandem consolidatiuis & cicatrizatiuis utor medicinis.

Cura aberiæ siue Angin.

EAdem cura est adhibēda in illa specie quæ aberia dicitur siue angin quæ est læsio cū remotione primæ superficiei ossis: in qua specie si contingat duram matrem separari ut supra dictum est quando de ista specie locuti sumus ubi de signis separationis panniculi dictum est istam speciem esse uerendam quæ species est magis uerenda si sit in summitate capitis propter saniem ibidem magis aptam ad intra descēdere propter sistum necesse est statim uisis accidentibus ad os aperiendū deuenire. & præ narratus modus ossis perforandi præ cæteris conuenit huic speciei. s. cum terebris. Quo inciso & remoto ut in specie ante dicta: factum est, proceda tur ad sanici exiccationem. & ad residuum curæ suprapositæ immediate.

Cura Marusis siue Monesis.

ISte etiam modus suprapositus prædictæ curæ conuenit illi speciei quæ dicta est Marusis siue Monesis quæ est species in qua ad intra caput uersus cerebrū os est ruptum & non extra: quæ cura est fienda instantibus accidentibus uel de sanie uel de punctura uel de grauamine ossis ad panniculum & locum bene ruminent medici in quo debeat fieri

ossis perforatio ne proprie fieret supra os pungens: quia ab instrumento ad intra magis comprimeretur os, & maiorem faceret puncturam ideo in operando ponatur perforatorium in confinibus læsionis capiẽdo de parte sana multum ut non comprimatur os grauans uel pungens & sic bene succedet opus hoc tamen opus non est faciẽdum nisi per expertum in hac arte & per eum qui bonæ fuerit existimatiuæ. Deinde cura fiat antedicta.

Cura hesenæ.

COnuenit hic etiã curæ modus illi speciei quæ hesena dicitur in qua specie os est plicatum ad intra maxime si accidentia cogant medicũ ad hoc opus quia sæpe ego uidi tales plicaturas sine accidẽtibus malis per emplastra sanari maxime cum meo cerato humano & etiam cum cerato bethonicæ antedicto & maxime in corpore molli. os. n. ad pristinum rediit locum. Vidi etiam alios in quibus os remansit semper depressum & nullũ secutum fuit nocumentum. si tamen accidentia superueniant os est prius perforandum terebro aliquo circa locum sanum propè compressionem ossis. Et fiat tale foramen quòd possit sub osse poni aliquod ferramentum eleuatorium de prædictis & eleuetur os.

¶ Et si contingat totum os depressum esse separatum à matre dura & ab almocati totaliter remoueatur. si autem ambobus uel alteri eorum firmiter sit ligatum ad locum suum eleuetur: quia forte ibidem consolidabitur. & maxime si sit frustum notabilis magnitudinis: quia ut superius dixi os trahit uitam à panniculis mediantibus arteriis & uenis: sed si est paruum os omnino remoueatur propter rationem scitam à perito. hoc peracto siue os remoueatur siue non cura localis sit illa quæ ante dicta est.

Cura illius speciei ubi uena rupta est sub craneo ipso nõ fracto.

HAec eadem cura cum terebellis antedicta cõuenit etiam illi speciei in qua rumpitur aliqua uena in panniculo duro: cranco tamen non fracto quam apertionem fieri debere monstrant accidentia euenire solita in separatione panniculi à cranco locum autem talis perforationis fiendæ remitto legitimo medico quia possibilis est talis cura, maxime si uena rupta est inter craneum & siphac. & quòd medicus in loco conuenienti ad expurgationem & exiccationem fiendam perforet os.

¶ Si uero uena esset rupta inter durã & piam matrem dura matre non

existente perforata in directo apertionis siue perforationis ossis. cura est impossibilis nisi à natura forti ad nares uel ad alia loca transmittatur materia. tamen ab ista specie rarissimi euadunt quos si contingat euadere eadem sit cura cum potione & dieta quæ antedicta est & hanc speciem bene riment operatores.

PRædictus etiam curæ modus cum terebris, cõuenit illi speciei læsionis in qua panniculus contunditur ab ossibus inter cõmissuras & si contingat quòd medicus cognoscat talem speciem per aliquem tumorem in loco commissurarum factum uel propter aliquod aliud signum stantibus malis accidentibus audacter super cõmissuras aperiat: & facta apertura si uideat quòd os denudatum sit ibidem & in colore mutatum hic loci perforet os: quia panniculus iam est separatus. & residuum curæ adhibeatur quia si datur & reperitur uia salutis huic speciei. ista sola uia. s. aperiendo os est illa qua mediante sanari potest.

Cura si panniculi sunt contusi inter commissuras.

Et ita etiam dico quòd si cõtingat os perforari in quacunq; alia specie stante separatione pãniculi à craneo in directo commissurarum quòd tute potest fieri ibidem ossis amotio & perforatio. & talem operationẽ ego pluries feci & mihi bene successit nec aliquam ego facerem differentiam à loco commissurarum ab alys locis in operando dũmodo per signa cognoscam duram matrem esse seperatam à craneo.

Nec est tam grande periculum in cõmissuris operari sicut dicunt alii qui. uidemus. n. cauteria fieri in commissuris quæ omnino attingunt ad primum panniculum supra os cui panniculo alligatur dura mater. Et tamen nullum sequitur nocumentum uerum est quòd si potest fieri apertio alibi quam in commissuris fiat quia omnino in commissuris dura mater alligatur almocati sensibilius q̃ alibi sicuti supra à nobis monstratum est expedito opere cum instrumentis in prædicta specie. idem ordo de medicinis seruetur qui supra positus est.

CVra autem illius speciei, quæ dicitur apostatismos siue cutomatos uel ascialis, quæ species est illa in qua totum os est remotum usq; ad panniculos, est ista. s. quòd debet medicus uidere an ultra

Cura ascialis apostatismos uel automatos.

os amotum sit aliud amouendum. quia interdum & fere semper maxime in corpore sicco q̃uis os incidatur ense gladio uel simili re etiam scinditur in partes diuersas & illarum partiũ aliquæ sunt pungentes & asperæ quæ remotione indigent & tunc forcipe incidente uel lenticulari Gal. os est applanandum. & quia etiam in tali specie q̃uis os usq; ad siphac sit remotum foramen illud non est sufficiens saniem intra contentam expurgare. ideo etiam est ampliandum uel forcipe uel serra oblonga uel lenticulari uel aliquo terebello grosso. Deinde medicinis debitis cum residuo curæ est procedendum.

Cura in antiaca uel in empiasma.

CVra uero illius speciei quæ empiasma & antiaca dicitur in qua specie frangitur craneum in partes plurimas & descendit supra siphac infra os sanum à quo osse interdum fit punctura & grauamen panniculo. est ista scilicet quòd quanto citius potest medicus os confractum remoueat quod in loco non sit aptum uiuere. & forcipe uel lenticulari uel serra oblonga incidatur os sanum prohibens os ruptum & fractum exire postea cura debita cum medicinis procedatur ut conuenit.

Cura perforationis cranei.

SI autem contingat os perforari sagitta uel stilo & similibus extractis illis prius uidendum est toto posse quòd dilatetur cutis modo antedicto. Deinde accidentibus urgentibus si opus est dilatetur foramẽ ossis cum terebris ad formam limæ factis uel aliquibus alijs de prædictis: ut sanies expurgari possit si qua sit. si uero accidentia essent ab apostemate, parum confert talis operatio in osse. & sic deinde cum medicinis ad propositum facientibus exiccare & totam curam perficere.

Propter quod cura per ferramenta post posita est.

ISTum modum curæ per ferramenta postposui omnibus alijs modis curandi prædictas læsiones, ut legetes & operãtes cognoscant prius omnia alia remedia tentanda fore anteq̃ ad hoc opus se conuertant: quia ut supra diximus ad longum prius alia uia & alter modus est tentandus anteq̃ ad ferramenta deueniatur. uisa tamen necessitate ut supra probatum est quanto citius ad illa deuenimus tanto melius est. Et sic hæc sufficiant ad ea quæ de cranei fractura à nobis dicenda erant. De prolixitate ueniam implorantes. Potuissem certe satis strictiori sermone claudere

Registrum.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S
T V X Y Z. AA BB CC DD.

Omnes Duernionesq.

Venetijs per Ioan. Ant. de Nicolinis de Sabio. Expensis
D. Ioan. Baptistæ Pederzani. Anno Domini.
M D X X X V.
Mense Octobris.

Lectori Salutem.

EN studiose artium professor opus super cranei fractura breuiori quidem tempore q̃ narratione fabricatum. Si quid tetrici uel indigesti artificis auribus dissonuerit: his se bimestrem fœturã inspecturum cognoscat, quis enim celeritati perfectioniq; adæquatam audeat adoream protestari. Suffocabar quidem, hinc desiderio Duci meo Illustrissimo parendi, hinc assiduis scholasticorum rogationibus & stimulis, quapropter fui tanquam mulier hysterica, uel sicut abortiens, uel perinde atq; auida, pariẽdi catella, ut in adagio, cuius fœtus incompletis enascitur luminibus, rursus si liuidus quispiam intorserit rhinocerota liuentesq; oculos auerterit, sua ipsius idem rumpatur inuidia, nec minus, si quis ex aliorum racemis uindemiam nostram factum accuset, id hominis genus non racemos, sed esse abortus nostri in maleuolum tot propugnatores admoneatur, uel hanc pariter ab experimentorum uinetis farraginem collectum. Præterea rabidum lectorem libellus noster non recurat: cui nec antidota præscribimus. Proinde rabientem linguam idem caueat inserere, ne quando per artificij nostri scalpra relabens, cæsim discindatur. Nos enim ad docti iudicis obeliscos opus reijcimus, facultatis nostræ studiosos ambimus, cæteros resecamus. Vale.

Lenguas
Mexicanas